Bibl. Sud.
1156

Digitized by Google

Hist. Ges. 4.

Zu Sporin und v. Harbou, Die Gründung der Bremer Hypothekenbank 1917 S. 211 ff

52 Akt. A 1-8 ... F 1-8
G 1-4.

Digitized by Google



<36601533220018

<36601533220018

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

ORATIO DE ORTV, VITA, ET OBITV IOANNIS Oporini Basilienſis, Typographicorũ Germaniæ Principis, recitata in Argentinenſi Academia ab Ioanne Henrico Hainzelio Auguſtano.

AVTHORE ANDREA IOCISCO SILESIO, Ethicorum in eadem Academia profeſſore.

Adiunximus librorum per Ioannem Oporinum excuſorum Catalogum.

VEL INVITIS PIRATIS:
QVOD PER PIRATAS EICEAT.



ARGENTORATI,
Excudebat Theodoſius Rihelius,
M. D. LXIX.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

MAGNIFICO VI-
RO DOMINO IOANNI CRA-
toni à Crafftheym, Consiliario & Medico Cæsareo intimo II. Andreas Iociscus S.

REVI ORATIONE OPORI-ni manibus, in Academia nostra, non ita pridem, clarissime Crato, domine & patrone obs. parentauimus: quòd amplissima ipsius in Rempubl. litteraria merita id à nobis efflagitare viderentur, vt hac nostræ in eum obseruantiæ & pietatis testificatione Oporino iusta faceremus. Eam quidem multis de causis, quas probare non esset difficile, in publicum emittere, non erat animus, ne apud quosdam temeritatis reprehensionem incurrerem, qui parum rectè eius vitam describi posse existimabunt, cuius consuetudine non adeò diu fueris vsus. Sed cùm beneuolentiæ et humanitatis, hoc officium bonis & doctis viris non displicere: atq; eosdem ipsos, vt publicè testatum facerem, velle, intelligerem, morē illis gessi: ratus eorum authoritate mihi munito, malorum calumnias non reformidandas fore. Eodem mense, quo morbo tentabatur Oporinus, negotiū quoddam pecuniarium apud amicum magni nominis (cuius præsentē opem nō semel fuerat expertus) expediendū mihi huc Argentinam descensuro, amanter iniungebat. Inde sumta occasione, ingressus de ærumnis suis dicere, vitæ cursum, quem ab ipsis typographicæ negociationis initijs in eū vsq; diem tenuerat, exponebat. Ex eo sermone plæraq; quæ in illas inciderunt turbas sunt posita: multa omisi, quæ alios

Digitized by Google

vrere potuissent. Quæ de Theophrasto, historiæ continuandæ causa inseruntur, cõplures grauissimi et doctissimi viri, mecum sæpe ab ipso Oporino audiuerunt: Ita vt nihil suggillandi alios studio à me dicatur. Semper enim detestatus sum eorũ petulantiam, qui satyrica quadam mordacitate vel viuos contumelioſe proscindunt, mediumq; illis ostendunt digitũ: vel mortuis etiam contra sanctissimam Athenienſium legẽ maledicunt atq; insultant. In tuo autem præcipuè celebri nomine Patrone obſ. hoc quicquid est, apparere volui, quòd quanti feceris Oporinum non ignorarem, & ſi alterius in medica arte sectæ hoĩes atrocius in me inuadere conarentur, apud te certum & constans præsidium habiturum me cõsiderem. Tuæ erit probitatis, studium meum in optimam partem accipere: Humanitatis verò, fauoris tui aura, me vt antehac, prosequi. Si porrò mea digna fuerint studia, quibus virtuti tuæ atq; excellenti eruditioni honos habeatur: ita me geram, vt facultatem potius quàm voluntatis promtitudinem mihi defuisse, sis intellecturus. Bene vale, Argentinæ 4. Idus Martij, M. D. LXIX.

ORATIO

ORATIO DE ORTV, VITA ET OBITV IOANnis Oporini Basilienſis, Typographorum Germaniæ principis, recitata in Argentinenſi Academia, ab Ioanne Henrico Hainzelio Auguſtano.

DVO SVNT POTISSIMVM, quibus vita noſtra informatur, præcepta et exempla. Illa ex principijs legis naturæ deriuata, quid ſequendũ fugiendúmue ſit, docent et præſcribunt: Hæc verò, ſpeculi inſtar, hominũ mores oculis ſubijciunt, & quid cuiuis exvſu ſit demonſtrant. Vtraq; ſanè, ad virtutis culturam in animis ingenuis, vim habent euidentem & momentum maximum. De præceptis ac diſciplina honeſtè & cum virtute inſtituendæ vitæ, non ita pridem præclarè dictum eſt. Ego, cui has dicendi partes, ipſa conſuetudo & præceptorum authoritas impoſuit, non alienum ab officij & ætatis meæ ratione facturum me putaui, ſi exemplum in medium adferrẽ, quo & ad virtutis decus, & promtam ſedulitatem in ſtudijs adhibendam, mecum adoleſcentes inuitarentur.

Inſtituam autem breuem ac nudam: veram ta-

Digitized by Google

men narrationem de ortu, vita & obitu Ioannis Oporini, Typographorum, testimonio omnium, spero, Coryphæi: qui nuper rebus humanis exemtus suis luctum, & grauissimum mœrorem: bonis desiderium ingens: omnibus manifestum fragilitatis humanæ et lubricæ inconstantiæ exemplū reliquit. Si enim in vllo vnquam alio, certè in Oporino nostro, fallacis fortunæ lusus eminere visus est: vel hoc vno illustri documento ostensuræ, quàm fragili loco starent res nostræ, perpetuæ vicissitudini & varijs, ijsq; frequentibus conuersionibus obnoxiæ. Humanitatis est, defunctorum memoriam piè colere, eorumq; honestam existimationem, ab iniquorum calumnijs qualicunq; patrocinio, vindicare: Officij verò nostri, Oporino, de nostra litteraria Republ. optimè merito, hæc iusta facere: quæ vt parum celebritatis, nomini Oporini, propriæ virtutis lumine spacioſum orbem implentis, adferunt: ita pietatem nostram, erga defunctum non obscurè testantur.

Celebris fuit olim, eaq; honesta de Homeri patria multarum, ciuitatum contentio, quæ ex tam præclari ciuis splendore, plurimum claritatis sibi pollicebantur. Ita obscura patria, vel vnius illustri virtute inclarescit. Magnus etiam eorum est numerus, quibus ad æternam nominis memoriam, &

eam,

eam, quam vocant, felicitatem patriæ nobilitas non parum momenti attulit: sic vt mutuas operas ad famæ perpetuitatem, vtrinq; tradi, exemplis ostendere haud difficilè foret. Quare ne vel Oporini felicitati, quam patria auget, quid detraxisse, vel inclytæ Argentinæ nostræ, quæ parenti ipsius dedit ortum, ipsiq; Oporino, rudimenta litterarum in hac schola discenti, benignũ hospitium præbuit, atq; ob id Oporinum vt ciuem, iure asserit, laudem hanc inuidisse videamur, rectè fieri à nobis fatebuntur, omnes, qui suis quoq; aliquando manibus simili pietatis officio, parentari cupiunt. Optarim equidẽ, eam mihi dicendi facultatem, quæ viri huius virtutibus responderet. Verùm si doctissimis auribus vestris, auditores grauissimi, orationis splendore non satisfecero, gratiam vos mihi non adeò expedita dicendi facultate instructo, facturos, pro æquanimitate vestra confido: præsertim cùm ipsa rerum tristium narratio, ornatum orationis reformidet: & cuiusuis etiã facundiæ riuuli, in grauissimo luctu, dolore iustissimo, atq; vberrimis lachrymis exaresçant.

Natus est igitur Ioannes Oporinus, anno Christi, supra millesimum, quingentesimum, septimo: Mense Ianuario, die conuersionis Pauli.

Nascentem excepit Basilea, loci natura, cœli temperie, & agri bonitate peramæna, atq; ob Mu-

Digitized by Google

ſarum tutum fidumq́ domicilium: doctorũ frequentiam apud omnes, celebrata ciuitas: quæ ex ruinis Auguſtæ Rauracorum incrementa ac vires ſumſiſſe creditur. Eam alij à Baſilio Minutio, Iulij Cæſariſ quondam in his terris legato, nomen hoc ſortitam opinantur: alij aliam appellationis rationem aſſignant. Qui ex veterum monumentorum indicio, veriorem coniecturam ſequuntur: à libero tranſitu, dictam putant. Sed operoſè hæc in præſentia proſequi, noſtri non eſt inſtituti. Patrem habuit Oporinus, Ioannem Herbſt, arte pictoria inſignem, vitæq́ probitate, & numinis diuini cultu piè religioſum. Familiæ nomen ex vernacula lingua poſtmodum in Græcam commutauit: Illud ex Martiali: Si daret autumnus mihi nomen ὀπωρινὸς eſſem: Horrida ſi bruma, ſidera χειμερινὸς, commodè & ingenioſè mutuatus, cum non obſcuro omine, fore aliquando, vt cum Roberto Vuintero, qui Chimerinum ſe poſtea vocauit, typographicam negotiationem iniret.

Auus Oporini in hac vrbe honores publicos geſſit: & ædilitio functus munere, integritatis ſingularis, diligentiæ, & ſpectatæ virtutis laudem habuit. Is cùm re ſatis eſſet lauta, vnicum filium à pueris ſtatim ad liberalium artium ſtudia adhibebat. Sed peſtiferum nouercæ odium, pium facilis patris conſiliũ impe-

impediuit. Hoc enim malo paterna domo expulsus, Reipub. notario, commissus est: cuius domestica consuetudine vsus, bellius scribendi facultatem sibi compararet. Cùm autem ad elegantem litterarum picturã pronior videretur, ab heri sui filio Pictore, ad eam artem est seductus. Vnde domum parentis, aliquando reuersus, & specimen suæ diligentiæ in scribendo exhibere iussus, cui rei daret operam, est fassus. Inclementius igitur, ab irato patre ea de causa habitus, qui ne vnquam in eius conspectum rediret, fuerat interminatus: patria profugus, et spe recuperandi amoris ac paternorum bonorum, exclusus, totum pictoriæ arti se dedidit, ac felici diligentia, eò progressus fuit, vt inter suæ ætatis artifices non postremus haberetur. Et quidem tunc in Heluetiam directa profectione, patriam deseruit: in omnem perdiscendæ artis suæ, & constituendarum rerum occasionem intentus.

Non quæuis plantæ sub quouis crescunt cœlo: multæ aliò translatæ felicius & lætius proueniunt. Ita nec vbiq; benè agendi occasiones offerũtur. Præclarè Plutarchus dicit: τῷ ἀρετῷ ὥζῳ ἰσχυρὸν καὶ διαρκὲς φυτὸν, ἐν ἅπαντι ἐλζῷ τόπῳ: φύζεώς τε χρηστῆς, καὶ φιλοπόνε ψυχῆς ἀπιλαμβανομένην. Rectè etiam Themistocles cuidã Seriphio, obiicienti: Non ipsum sua, sed patriæ gloria illustrẽ;

Digitized by Google

respondit: Vera dicis, inquiens, Nam neq; ego si Seriphius essem clarus euasissem, neq; tu, si Atheniensis. Ea enim virtutis vis est, vt indolem bonam nacta, vbiuis terrarum radices agat: & frequentibus iisq; honestis actionibus excitata in sementem vberrimam producatur. Euidenter hoc Oporini pater probauit, qui naturæ probitatem studiosè excoluit, & acceptam ab hac vrbe claritatem propria virtute ita illustrauit, vt dignum se patria sua ciuem exhibuerit. Dum in Heluetia exercendæ artis gratia subsistit, patrem amisit: Mittuntur igitur qui filium, vnicum hæredem quærant. Peruenitur in Heluetiam, vbi eum esse cognouerant: sed is cui dabat operam, adolescẽtis discessu, lucri, quod ex ipsius industria faciebat maximum, iacturam metuens, secum eum esse negauit. Hoc igitur infortunio magistri sui auaritia & iniquitate, paternorum bonorum, quæ satis ampla erant, hæreditate deiectus, Basileam se contulit: vbi omnibus industriã suam ita probauit, vt studia & beneuolentiam bonorum, pro gentis istius probitate, facilè promereretur. Delectatus loco & hominũ moribus, pedem ibi fixurus, duxit vxorem, Barbaram Lupfartim honestæ existimationis virginem. Ex ea sustulit tres filias (quarum vna Reipub. litterariæ, ciuem optimum Theodorum Zuinggerum, Philosophum & Medicum

Digitized by Google

Medicum clarissimum genuit: & post prioris mariti fatum, Conrado Lycosthenì nuptui data, diligentia sua infirmam atq; etiã ægram perditamq; valetudinem huius viri, pia cura diu sustentauit) & hunc Ioannem eo, quo dixi anno, cum paulò antè, parricida quidam candentibus forcipibus dilaniaretur: quem mater adhuc vterum gerens ex fenestra, adeò discerptum intuita, subito horrore concussa, maculas Oporino impressit.

Præter virtutem, deus nihil ab vxore acceperat: nec ipse quicquam præter industriam ad eam attulerat. Hinc tantæ omnium rerum difficultates obijciebantur, vt continuo labore suum vix victum exsarcirent. Quare, cùm ob domesticam hanc inopiam, liberorum prosperitas, in propria potius, post Dei benedictionem, industria, quàm relictarũ opum abundantia, posita videretur, studiosè parentes dabant operam, vt in se ipsis certa & duratura vitæ præsidia collocata haberent. Pater igitur ipse diligenter filium litterarum rudimenta docere: & in publicum ludum litterarium ducere: & à præceptoribus tradita exigere ac repetere. Mater verò nihil quæ fœmineas decerent manus, negligere. Qua sedula cura factum est, vt & ærumnæ domesticæ liberorum secundo successu dulcescerent: et vocationis duriusculi labores mitigarentur.

Cæperat

Digitized by Google

Cæperat tum iuuentus in ſcholis melius inſtitui: quòd litteræ ſuum iam nitorem, doctorum ſtudio reciperent: et bonorũ authorũ ſcripta, integritati reſtituta, in hominum manibus verſarentur. Proinde cùm in Oporino ingenij acumen in ipſa pueritia emineret, atq; indoles neſcio quã meſſis ubertatẽ & autumnalẽ fœcunditatẽ promitteret: Pater nihil eorum, quæ naturæ bonitatẽ, in filio eluceſcẽtem ornatura putabantur, prætermittebat: licet oĩa, quæ facultatem emergẽdi pbere poſſent, acciſa admodũ foret.

Poſtquã igitur domi feliciter, litterarũ rudimenta percepiſſet: ob patris inopiam, huc Argentinã deſcendit: & in pauperũ ſcholaſticorum contubernio, quatuor ferè annos vixit. Docebat eo tẽpore in hac vrbe Gebuuilerus, doctus informandæ iuuentutis, pro temporis illius ratione, & Oporini captu, moderator. Quo magiſtro et duce tum Oporinus vſus, tantum profecit, vt & latinè, purè atq; expeditè loqueretur, & Græcæ linguæ, non prorſus ignarus, cum multorum admiratiõe haberetur. Maturitatẽ ætatis & iudicij adeptus, patriam repetit: perfectæ eruditionis (cuius acquirendæ, ibi facultas erat maxima) laude ductus. Viros igitur doctos (quorum frequenti multitudine, peculiari ciuitatis genio, ſemp felix Baſilea fuit) ſedulò audiuit: & eorũ inſtitutione iudicium de artibus humanioribus, quarũ guſtum

Digitized by Google

ſtum hic perceperat, informare didicit. Sed cum curſum, diu tenere non potuit. Cùm enim patria paupertas, domeſtica ſubſidia negaret: nec quod aliunde acceder et, ſperare poſſet, ad Abbatẽ S. Vrbani (monaſteriũ eſt, ſub ditione Lucernenſium in Heluetia ſitũ) ſe contulit: & ibi iuuentutẽ quæ aliquando in collegium recipiẽda erat, docuit. Nondũ enim monachorum ſocordia, et bonarũ rerum abuſus, conſuetudinem hanc inſtituendorũ puerorũ oboleuerat.

Hac vitæ conditione ibi degens, venit in familiaritatẽ Xylotecti, canonici apud Lucernenſes: coniungebat eos et ingeniorũ ſimilitudo, (quæ ad coaleſcendos animos plurimũ habet momenti) et politior litterarũ cultura. Xylotectus enim doctũ et lepidũ, vt ea ferebant tempora ſcribebat carmen: & Oporinus eo non erat inferior. Non multò pòſt Xylotectus Euangelij puritatẽ amplexus, ampliſſimos illos reditus deſeruit, ductaq; vxore, Baſileã conceſſit, vbi deinde peſtis contagione infectus, vitam cum morte commutauit. Oporinus quoq; monaſticæ ſcholæ pertæſus, amicum ſequutus, Baſileam rediit: cæptum ſemel ſtudiorum curſum continuaturus, & cum laude confecturus. Sed cùm nec tum quidem ulla ſubſidia à quoquam ſubminiſtrarentur, Græcos Theologos, vt Irenæũ et alios deſcribendos ſuſcepit: quos magno ſumtu Ioã. Frobenius Græcè in publicũ

emitte-

Digitized by Google

emittebat. Adeò semper res angusta domi, & grauis paupertas Oporino obstitit. Tandem Xylotecti viduam, anno 1527. vxorem duxit: non alia ratione de amico præclarus se mereri posse existimans, nisi magno suo cum malo, morosæ & austeræ vetulæ iugum subiret. Quæ ab ea fuerit perpessus: referre non libet. Hinc autem quiuis acerbitatem molestiarum, quas vxor imperiosa & immitis obijciebat, facilè æstimabit: quòd ipse Oporinus sæpe diceret: idē sibi quod Socrati accidisse, vt cum Xantippe Philosophari disceret. Nec minor sanè, eius quàm Socratis in perferenda & mussitanda vxoris iniuria, fuit tolerantia. Nam vt ille multis conuitijs ab vxore exagitatus, demum sordida quoq; aqua perfunderetur: nihil aliud dixit, quàm sibi notum esse, post tot tonitrua, tandem quoq; venturam pluuiam. Ita Oporinus importunitatem coniugis, in casibus haud dissimilibus, patientissimè tulit. Gubernabat tum litterarium patriæ ludum Oporinus, & feliciter iuuentutis studia, vt erat tractandorum ingeniorum elegans artifex, moderabatur. Et sunt adhuc non pauci, qui primorum rudimentorum cognitionem, & hinc extructam solidam eruditionem acceptam Oporino ferunt. Sed is, quoq; scholasticæ vitæ cursus, citò est interruptus. Quum enim naturæ præstantia ipsum non nisi ad summa hortaretur: &

doctorum

doctorum virorum, qui tum viuebant, elogijs extimulatus, non quiesceret: forsan etiam præsentis tenuitatis (quæ plerunq; grauissimos labores ludimagistrorum comitari solet) suppuderet: de ineunda alia studiorum ratione cogitare cœpit, quæ eum continuis illis molestijs ereptum, tutiori durabilis prosperitatis locaret sede. Hoc meditanti Oporino, Ioannes Oecolampadius, qui primus Basileæ sincerionem Christi Euangelij doctrinam est professus, mirum hominis ingenium, & ad omnia aptum, sed litibus inimicum animaduertens: author fuit, vt Medicinæ studio se addiceret: præsertim cùm ibi esset Theophrastus Paracelses, qui vnius anni spacio, eximium artis doctorem, se perfecturum superbè iactitabat. Venit Basileam Theophrastus sub initium repurgati Euangelij, & religionis nomine ab Oecolampadio susceptus & Magistratui commendatus est. Dissipata tunc planè erat Academia, & professores partim electi, partim sua sponte vrbe cesserant. Facilè igitur auxilio Oecolampadij medicam professionem, in Academia, obtinuit.

Consiliũ Oecolampadij sequutus Oporinus, Theophrasto se adiunxit, & quàm diu Basileæ fuit, ab eius consuetudine nunquam discessit: imò etiam domestico eius vsus consortio, operam ipsi suam, famuli

&

& amanuensis functus officio locabat: sperans se vel hac officiosa diligentia perfectam artis cognitionẽ, quam Doctor iste, plenis buccis crepabat, consequuturum. Theophrastum itaq; magna primò cum admiratione, & numerosa sectatorum, etiam eorum qui sapientiæ, & eruditionis ea in arte eximiæ, laude erant celebres, frequentia docentem Oporinus diligenter audiuit: et quæ ab Theophrasto germanicè dicebantur (vernacula enim lingua præter morem medicinam docuit) latinè fideliter excepit. Latinæ quidem linguæ cognitionem Theophrastus habebat, vt sæpe affirmabat Oporinus, perexiguã: memoria tamen adeò felici erat præditus, vt integra Galeni loca, memoriter & expeditè recitaret. Ea quæ ex materno sermone conuertisset Oporinus, vel non intellecta dictando, aut in lectione confusè excepta, omnia Theophrastus approbabat. Quod quidẽ Oporinum sæpe dubium fecit, vt impostura aliquid subesse, ex tam promto assensu suspicaretur. Egressus cum suis discipulis Theophrastus, vt herbas colligerent: si qua occurreret planta, cuius nomen ignorabat, eam non in vsu esse dicebat. Quàm ardens discendi studium in Oporino fuerit, vel hinc cognoscitur: quòd ebrij hominis insanos mores, patientissimè pertulerit, vt cum fructu aliquo, tantis molestijs digno, in artis medicæ studio progrederetur.

Hippo-

Digitized by Google

Hippocratem ferunt, medicinæ discendæ, adeò fuisse studiosum, vt vel retrimenta gustare non dubitarit: morbi materiam inde exploraturus. Cleanthem quoq; scientiæ desiderio ita exarsisse Laërtius scribit, vt noctu hortulano cuidam, aquas hauriendo (vnde & Φρεαύτης dictus est) quæstum faceret: quo paupertatem suam sustentare, & interdiu Philosophiæ vacare posset.

Non leuior certè ardor discendi in Oporino nostro fuit: nec minor molestiarum sustinendarum inuicta tolerantia. Cùm enim Theophrastus contra reliquorum medicorum placita, assereret hominis temperiem non nisi ex vrina alcali hoc, est, si quis per triduum omni cibo & potu abstinuisset, cognosci posse: Oporinus se ipsum triduo macerauit: et exiguũ quid in phiala Teophrasto adferẽs, iudiciũ doctoris sui requisiuit. At ille ridens, & stultum eum, qui tam facilè obtemperasset, vocans, phialam parieti allisit.

Solebat præterea Theophrastus vino madidus, noctu, stricto gladio per dimidium ferè horæ, cum laruis depugnare: non absq; Oporini, qui eodem in conclaui, cubiculari suo lecto latebat, magno metu & periculo: Inde Oporinum ad dictata excipienda excitabat: quæ tàm expeditè recitabantur, vt dæmonum instinctu, ea suggeri Oporinus, se putasse sæ-

Digitized by Google

pe affirmaret. Et certè plurima ex ijs, quæ sunt impressa, Oporini manu scripta sunt: quæ vt erat facilis, istius sectæ hominibus haud grauatè communicauit. Quid quòd compotationibus, quibus doctor iste supra modum delectabatur, non rarò indulgere cogeretur? in quibus tamen non erat perpetuus, cùm ingenij ad litterarum potius culturam, quàm commessationes apti, uires, frequentem crapulam non ferrent. Fidem & diligentiam Oporini, ipse Theophrastus prolixè commendat: ac in quodam libello, ex multis famulis vnicum se Oporinum fidelem expertum esse fatetur.

Hoc statu, & his moribus biennium ferè Basileæ Theophrastus vixit: quo quidem tempore, ita artem suam probauit, vt propter summam felicitatem in desperatis morbis curandis, in magna esset admiratione. Erat ibi Canonicus quidam nobilis à Lichtenfels, deploratæ valetudinis: Eum Theophrastus, pactus precium centum florinorum (quos promtè offerens, numeraturum se summa etiam voluntate Canonicus pollicebatur) tribus Pilulis Laudani sui (medicamenti genus est, quo in extrema tantum necessitate vtebatur) saliua subacti, feliciter restituit. Tam breui spacio, & quidem re vt uidebatur exili, sanatus Canonicus, pactis nõ stetit. Dignus certè, qui longioribus morbi cruciatibus

bus, & doloribus torqueretur. Iniusigitur Theophrastus ambulat: Vbi cum solita & à magistratu ordinata ac præscripta solutio decerneretur: Theophrastus tàm vile precium suæ arti statui ægrè ferens, importunius in prætorem est inuectus, ita vt læsi magistratus pœna metueretur. At quibusdam igitur magnæ authoritatis viris, qui honori ipsius studebant, monitus Theophrastus, ipso etiam Oporino, vt se subduceret, instare non desinente: in Alsatiam descendit, relictis Oporino vasis Chymicis.

Promiserat Theophrastus, Laudani conficiendi rationem Oporino se traditurum: Qua spe pellectus eum in Alsatiam est comitatus: & biennium adhuc hominis importunitatem tulit. Tandem impetraturum se à magistro suo, quod cupiebat, diffidens, eum deseruit: Accelerabat abitũ, Theophrasti impietas. Vocatus enim à rustico ægro, cùm Eucharistia usum intelligeret, suæ arti iam non locum esse apud illum qui alium auxiliatorem quæreret, (horrendum dictum) aiebat. Quòd si ex animo ita sensit Theophrastus, quis non blasphemam hominis impietatem detestaretur? Sin autem excusatione hac vti voluit Theophrastus, ne, prioris felicitatis famam iam morituri, exitu corrumperet, ac remedia sua infamaret: non magis prudens &

Digitized by Google

vrbanus fuisse videtur: quàm ille: qui mortem metuenti ægro ἐθνηκε καὶ πάροχλος, respondit, ὅσις σεο πόλλον ἀρείων. Extant quidem scripta Theophrasti, quibus magiam approbat: et hominem pium dæmonis, vt latronis opera, vti posse asserit: Et superest adhuc Basileæ D. Vuolfius Vuisenburgius, qui in publica lectione affirmanti: si Dei deficit auxilium, diaboli succedat, contra dixit: sed multis ab eo calumnijs oneratus furori hominis cessit. Et hæc quidem causa discessus Oporini à Theophrasto fuit: Quo relicto Basileam ad vxoris imperium redijt: laudani portione prius ab illo accepta, qua veluti diuina virgula non multo pòst seruatus fuit. Sumto enim purgandi causa, Mercurio præcipitato: rixa cum vxore orta, noctu domo egressus, ad patrem contendit. Hausta in via aqua copiosiore: & quia pulsandis ædibus, patri dormienti, molestus esse nollet, ad fores assidens frigore oborto, toto corpore, capite inprimis adeò intumuit: vt de vita medici desperarent. Dum ita aliquandiu decumberet, & quodam die solus domi in lecto esset, recordatus Oporinus laudani, ad peram, qua continebatur arrepsit: ac tres pilulas deuorauit: ibi somno consequuto, reuersa è concione vxore, quæ mortuum se inuenturam sperabat, tumore sublato, incolumnis euasit. Magno profecto ingenio fuisse Theophrastum medicamenti

huius

huius præsentißimi præstantia demonstrat. Quòd si ad naturæ hanc felicem excellentiam, pietatem & politiorem eruditionem adiunxißet, vno Æsculapio, vel Ioue (qualis Menecrates iste) minor, vt his verbis vtar, fuißet.

Non multo pòſt Oporini vxor, qua cum octennium uixit, Lucernæ obijt: quò bonorũ suorum causa quotannis ascendebat. Amplam quidem hæreditatem ex facultatibus mortuæ coniugis sibi obuenturũ putabat: tantùm tamen abfuit, ut aliquid obtineret: vt etiam iure rem experturus, fraude affinium non leue damnum fecerit. Docebat eo tempore Græcam linguam Basileæ, magnus ille Grynæus Heydelberga illuc accersitus. Is Oporinum propter ingenij & morum elegantiam, & Græcæ linguæ præstantem cognitionem, plurimum diligebat: et hic vicißim Grynæum præceptorem, omni cultus & pietatis studio reuerenter obseruabat. Proprium hoc bonorum virorum esse solet, vt eorum miserijs vehementer afficiantur: qui si in promtu esset emergendi facultas Reipu. aliquando ornamento forent: præcipuè cum suæ duræ quondam sortis memores dignum & pium existiment, pro virili sua, aliorum prostratas fortunas subleuare, ac cõstituere. Subinde igitur Grynæus res Oporini promouere: studia eius & ingenium alijs commendare: omnibus deniq; hu-

Digitized by Google

manitatis à beneuolentiæ officijs, honori, & commodo ipsius consulere.

Quare cum sacram scripturam explicare, authoritate senatus, Grynæus iuberetur: effecit, vt in eadem professione, & collegij procuratione, cui antehac præfuerat, sibi Oporinus substitueretur. Ad studia itaq; et secundas nuptias reuersus, magna cũ laude et auditorũ fructu, munere isto scholastico est functus. Mira enim in docendo erat perspicuitas, dexteritas, & erudita facilitas. Plutarchi vitas Græcè scriptas, frequentibus auditoribus, doctè & prudenter enarrauit: quorum pars aliqua Parens meus quoque fuit: tum temporis, vnà cum illustri Heroe Lazaro à Schuendi, & viro amplissimo Georgio à Steten Augustano, studiorum causa Basileæ viuens. Domum cum suis discipulis, quos nominaui, & alijs compluribus, reuersus Oporinus prælecta, accuratè ab ijsdem exigere pro sua erga auditores propensione solebat. Huius beneficij, quo nihil maius, nihil sanctius, nihil diuinius, discipuli deinceps memores: gratitudinem suam Oporino præceptori luculenter demonstrarunt. Nam ipse Schuendius Oporinum, fatalibus suis ærumnis tantùm non oppressum, non semel subleuauit. Par Stetensis fuit liberalitas. Parentis mei in Oporinum studium

prædi-

prædicare nolo: officij mei esse putans, eadem voluntatis promtitudine obseruantiam debitam præceptoribus meis declarare. Sed ad rem redeat oratio. Collegio præfectus, Erasmo Roterodamo Basileam reduci: ibidem peractæ vitæ catastrophen expectaturo, virum honorarium officij causa offerebat. In mutuum complexum postquam venirent, & dextras iungerent: Erasmi manum Oporinus, durius compressit: ille, vt erat Chiragricus, se grauiter lædi exclamat: Siue seriò siue ioco, hoc ab Erasmo, vt in familiaribus congressibus iucundus, humanus, grauis tamen fuisse perhibetur, factum est: constat Oporinum, attonitum obmutuisse. Id animaduertens Erasmus, Oporinum, amicè compellat, vinum, infundi iubet, & vt animum recipiat hortatur. Consedit cum suo comitatu, (qui ob Erasmi aduentum frequens erat) Oporinus: & semel atque iterum in orbem redeunte poculo: ad se quoque reuersus, docta & graui oratione atque ipso digna Erasmo Erasmum excepit. Digressi sunt, non absque mutui amoris fomite: quo veræ beneuolentiæ sanctè cultæ igniculos semper aluerunt.

Hac vitæ cõditione bienniũ ferè Oporinus exegit: cum vxore sumtuosa, tribus matris proluuiũ imi-

Digitized by Google

tantibus ſtipata filijs. Sumtibus tandem qui cenſum ſuperabāt impar, de academia deſeranda cogitabat; præſertim cum neſcio quid controuerſiæ Grynæo cū Caroloſtadio de gradibus in ſchola vſitatis, interceſſiſſet. Quo intempeſtiuo malo moti nō pauci Academiam deſeruerunt. Cœpit igitur cum affini ſuo Roberto Vuintero excudere, et alijs rebus neglectis, in hoc totus eſſe.

Non defuit tum quoq; creſcendi cum dignitate occaſio: niſi vis fati in Typographicas difficultates omnino eum abreptum & demerſum voluiſſet.

Academiæ enim præſides de Oporini ingenio ac profectu, multis iam maturæ eruditionis teſtimonijs editis, probato, inſigne & euidens in Rempub. emolumentum ſibi polliciti: ſatis amplos ex Canonicatu D. Petri reditus (quos facultatum, vt vocant, profeſſoribus, magiſtratus Baſilienſis piè deſtinauit) ipſi, Iuris ſtudium aggreſſuro obtulerunt. Audiuerat Iuris doctrinam explicantem Cl. Iureconſultum Bonifacium Amerbachium, quem, (licet enim ex ipſius ore hæc dicere) ſocerum tum certè non ſperaſſet: Et eo doctrinæ genere ob id magis delectatum ſe eſſe, dulci recordatione iuuenilis ſtudij, dicebat: quòd legum conſtitutiones, ex fontibus, ſacræ ſcripturæ deductas, Philoſophorum ſaniorum, Platonis nimirum & Ariſtotelis, riuulis irrigaret. Iuris enim

ris enim & purioris Philosophiæ studia ita concinnauerat Amerbachius, vt & inter Iureconsultos palmam merito suo facilè tulerit: et doctissimis Philosophis haud inferiorem ego eum posuerim. Sed auersatus Oporinus flexibiles illas in vtramq; partem casuum disputationes (quas instituto suo, docens accommodabat Amerbachius) & alioqui remotum à litibus vitæ genus amans, hanc quoq; occasionem ita neglexit: vt si molestijs præsentibus eluctandi spes aliqua fuisset proposita, non inuitus eam esset amplexus. Si enim scholæ præsides, singrapha, promissos reditus, quod petijt, confirmassent, atq; æs alienum iam conflatum acceptis tamen, quos impresserat cum Vuintero libris, persoluissent in eorum sententiam, lubens descendisset. Magistratus verò in dubium, fidem suam vocari ægrè ferens, suo ipsum et fortunæ arbitrio reliquerunt.

Non esse hominis uiam eius: nec viri dirigere gressus suos, Oporini exemplo conspicuum esse potest.

Nam vt Hercules apud Prodicum, in biuio subsistens, secum vtram viam ingrediatur deliberat: Sic Oporinus noster, in omnem occasionem experrectus, pluribus conditionibus propositis, hæsit dubius. Sed tamen nec Medicum, à quo non alienus erat, nec Iurisprudentiæ, ad quam honoris spes & ingens opum vis, inuitare et allicere debuerat, studium est

Digitized by Google

prosequutus: Sed Typographicum vitæ genus, quod nunquam cogitarat, amplexus: illustri documento fuit Deum Opt. Max. actionum nostrarum et finem & rationem prouidè ac sapienter regere: eo modo, quem ad verbi sui propagationem, nominis sui gloriam & nostram salutem, maximè expeditum nouit. Vt enim Typographia, Oporinum à studijs importunè retraxit, intercepto solidioris, magisque durabilis prosperitatis, quam attulissent, cursu: Ita eximiam ad Reipub. litterariæ commoda accessionem adiunxit, alijsq; suo damno profuit.

Plenis itaq; velis in typographicum mare delatus Oporinus, naufragium primum per Vuinterum fecit: qui vxoris luxu perditus, præter officinam nihil reliquit. Hanc tamen à creditoribus, septingentis florinis aliunde mutuò acceptis (precio mercem longè superante) redimere est coactus. Ita prius, quàm in herba messis esset, tristis hyemis sæuitia, autumno suus perijt fructus.

His initijs, hoc ære, & antea cum Vuintero contracto: & tum emta ipsius officina accumulato, Typographicam negociationem cœpit: Subinde versuram faciens, omni conatu ob pecuniarias difficultates, in nihilum, peiusue relabente:

Non aliter, quàm qui aduerso vix flumine lembum,
Remigijs subigit, si brachia fortè remisit,

Atq;

Digitized by Google

Atq; illum in præceps proro rapit alueus amni.

Non enim tantum à parentibus nihil ad eum redijt, ſed pecuniæ numerum haud exiguum, ſexcentos penè florinos excedentem, quem ab Ludouico Bero Canonico, ſuo à matre affini, iam deſtinatum ſperabat, infortunio quodam mirabili amiſit. Nam Francofurtum proficiſcens: in hòſpitio Mulbergenſi inſignia gentilicia, Germaniæ more, feneſtræ inſeri curârat. Pictor veritatis imaginem, fucatam Religionem monaſtico habitu indutam calcantis finxit. Id cùm reſciuiſſet Berus, indignè adeò tulit, vt nomen illius è tabulis eraſerit.

Tantis licet, moleſtijs laboraret Oporinus, neruis omnibus rei benè gerendæ inciſis: nihilominus ingenti animo ærumnas omnes perferre ac ſuperare: et vt eluctari poſſit contendere, inſtitutum in re litteraria iuuanda ſuum vrgere: doctorum virorũ animis ſe inſinuare, cùm litterarum crebritate ceu fomento beneuolentiam alendo, tum alijs officijs ijſdem gratificando. Deſeruerat tùm parens eius artem ſuam, ne idola, & id genus imagines pingeret. Illum Oporinus innumeris grauiſſimarum expenſarum moleſtijs, vndiquaq; circumuentus, piè aluit, fouit, ſuſtentauit, nihilq; ipſi, quàm diu ſuperfuit, defieri eſt paſſus: Iiſdem pietatis officijs ſorores

(*matrem*

Digitized by Google

(matrem enim maturè amisit) prosequutus. Duo præcipuè in Typographo sedulo et prouido spectantur: alterum ποιητικὸν, vt exemplaria comparentur & excudantur: alterum μεταβλητικὸν (pars est ἐμπορικῆς τέχνης in Sophista Platonis) vt eadem impressa commodè extrudantur. Et quidem τῷ μὲν θεοὶ ἄλλο δόσαν (vt Homerus inquit) τὸ ποιεῖν scilicet, ἄλλο δ' αὐένδσαν. Nam vt felici diligentia in excudendo vsus est: ita successu in distrahendo prorsus caruit.

Quod igitur ad primũ attinet, omnes hoc libẽter concessuros spero, optima et doctissima, cum vetustate, tum vtilitate veneranda, et magnifacienda scripta, ex Oporini officina prodisse: Reipub. magis commodo, quàm proprio fructu labores suas metientis. Sacra inprimis, in hominum manus cura sua & diligentia peruenire cupiebat: vnde à Casparo Bruschio, Palatini iure, datis etiam hac de re codicillis, Dei Opt. Max. notarius contra Antichristum & inferorum portas est nuncupatus.

Oporini certè beneficio Biblijs à Castalione, viro doctissimo & innocentissimo in latinum sermonẽ conuersis, fruimur: quem etiam Religionis causa patria extorrem, cum familia satis numerosa, solus diu aluit: vt & plurimis alijs doctis certi subsidij loco semper Oporinus fuit.

Erga

Digitized by Google

Erga operas præterea, quas librorum impreſsio poſtulat: ſupra facultatum rationem, & modum liberalitatem exercuit: vt earum miſertus, non abſq; graui ſæpe detrimento, illas ab alijs Typographis neſcio quid incommodi ex infrequenti mercatu metuentibus dimiſſas, ſuſciperet, ac non rarò, ſupra quinquaginta ſuſtentaret. Quid inde curarum et anxietatis ad Oporinum redierit, maior mea eſt imbecillitas, quàm vt oratione poſsim exprimere. Herculeas potius ærumnas ſibi quis optarit, quàm quotidie cum hoc hominum genere conflictari. Taceo quòd nullum opus, niſi à ſemetipſo correctum lucem viderit. Quos porrò ſumtus eam in rem fecerit, iam non attinet dicere. Facilè eos quiuis ex grauiſſima rei familiaris iactura æſtimauerit. Non defuerunt tamen qui magnificentia ſua, vbi ille deficerat, paratiſſimo ipſi ſubſidio erãt, ac ſæpe omni ope deſtitutum tempeſtiuè ſubleuabant. Digna æterna memoria & prædicatione magnificentia eſt Cl. & doctiſſimi virorum Ludouici Grempij I. C. ti celeberrimi, Reip. huius vrbis aduocati: & Ioannis Sturmij Rectoris & præceptoris noſtri, omni pietatis ſtudio, perpetuò obſeruandi: qui debitæ pecuniæ non exiguam ſummam Oporino mortuo remiſerũt. Idem fecit Typographus doctiſſimus Henricus Petri, qui quadringentos florenos in vſum Typographicum

Digitized by Google

phicum Oporino ſuppeditatos, pupillo liberaliter condonauit.

Altera Typographi cura eſt, vt cum fructu ſuo, exemplaria impreſſa diſtrahat: & laborum, ſumtuumq; fructum percipiat. Μεταβλητικὴν *hanc partem vocauimus. Ea iucunda et larga ſuperati laboris compenſatrix, ſpe præmij: pro varijs ærumnis implere mercatores et ſingulari voluptate ſolet perfundere. Verùm & hîc omnia ſibi aduerſa eſſe expertus. Francofurtum enim quotieſcunq; venit, non aliter, ac ſi in carnificina torqueretur, fœneratorum iniurijs miſerè exagitatus fuit: adeò vt animi magnitudo & vis, vel hoc calamitatis genere perſpicua, laudem, ſortis autem atrox aſperitas, commiſerationem mereatur.*

Vulgò quilibet ſuæ fortunæ faber dicitur: quàm vere ipſa teſtatur experientia: eorumq; exempla, qui duriori aliquo preſſi caſu, homineſq; Deoſq; accuſant: rati vel illorum iniquitate vel horum permiſſione, miſerias in humanum genus inundare atque immitti: quas propria tamen culpa attrahunt, & attractas indiligentia ſua cumulant. Incuriam hanc equidem, haud facilè Oporino noſtro tribuerim: vel etiam vitio duxerim. Negari tamen non poteſt, rerum eum ſuarum, nimium ferè ſocordem in hac fuiſſe parte. Nam & in anno

tandis

Digitized by Google

tandis nominibus, & accepti atq; expensi codicibus accuratè describendis, summa in ipso, genio eius aduersa fuit negligentia: & in sua pro alijs fide interponenda, exponendaq; pecunia, facilitas maxima. Qua quidem in re, sæpe indignè fuit deceptus: ita vt desiderata debitorum fide, vltra octo millia in nominibus parum liquidis habuerit.

Eò etiam perfidiæ & iniquitatis quorundam est progressa malitia, vt neglecta omni pietate, charitate, & honestate: nulla habita boni, æquiue ratione, pro sorte centum florinorum, viginti, imò etiam triginta, vsuræ turpissimæ loco ab ipso exegerint: Quàm miseris modis, curarum æstus, & sollicitudo, hinc exorta, Oporinum exercuerit, dici vix potest. Tantum tamen abfuit, vt de pertinaci suo studio aliquid remitteret, vel laboribus & molestijs succumberet, varietate & magnitudine ærumnarum fractus: vt, quod Iuno apud Tragicum de Hercule queritur, superarit & creuerit malis, iráque fortunæ frueretur: in laudes suas eius vertens odia.

Summum iuuandis humanioribus disciplinis studium, & indefessum conatum vel illud Aldinum testatur, quod instituto suo accommodatum Musæi foribus præfixerat.

Quisquis

Quisquis es, rogat te Oporinus, etiam atq; etiam: vt si quid est, quod à se velis, perpaucis agas: deinde acturum abeas: nisi tanquam Hercules defessо Atlante, veneris suppositurus humeros. Semper n. erit, quod & tu agas: & quotquot huc attulerint pedes.

Atq; has quidem difficultates Oporinus est perpessus, Nonnunquam tamen eadem ipsa fortuna blandiori vultu, in amicum complexum veluti odio exaturata, libidinisq; sua ducta pœnitudine, reditura videbatur: dum illum & principum gratiæ: magnorum fauori: omnium verò amori & beneuolentiæ feliciter insereret.

Nam ipse Imperator Ferdinandus, hominis probitatem amplexus, clementissimè se Oporino dedit: et ut merces eius improfessæ Brisaci (oppidum illud est ad Rhenum peramœno loco, & natura, & opere munito, situm, vbi portorium Austriaci colligunt.) præterueherentur, benignissimè concessit. Sed Oporinus, futura compendia vel dispendia parum diligenter considerans, hanc quoq; neglexit cõmoditatẽ.

Palatinus etiam Elector Fridericus, Oporini integritatem, & in excudendo industriam admiratus, Heidelbergam eum accersiuit: vbi res suas forsan melius stabilire potuisset: nisi præ natalis soli dulcedine maximè opimas conditiones repudiasset.

Expatiatus erat aliquando ad Ioan. Rodolphum

Stoer,

Digitized by Google

Stoer, abbatem Morbacenſem, negotij cuiuſdam conficiendi cauſa. Cùm admiſſus continuò non eſſet, domum redijt, & ſatis acerbas ad abbatem litteras miſit: quibus ludibrio ſe & morionis loco haberi, moleſtum ſibi eſſe oſtendebat: ſed quia ſtultorum eſſet vera dicere, ſe quoq; vera dicturum affirmabat: inde in ſtolidam aulicorum, (qui plerunq; ob monachorum imperitiam & ſtoliditatem vſurpata omni adminiſtratione et imperio inſoleſcunt atq; altos gerunt ſpiritus) ſuperbiam inuectus. Erat enim in Oporino, quod ſciunt, quotquot eum norunt, omnes, veritatis ſtudium maximum: illæſus candor, & inuiolabilis integritas. Abbas ne cicadam ala corriperet, amiciſſimè Oporinum inuitauit: & annuum ſtipendium, quo doctiſſimum Sigiſmundum Gelenium honorauerat, poſt illius mortem in Oporinũ, Bibliothecæ ſuæ locupletãdæ ergò, tranſtulit. Felix fuit doctorum amicitia, qui & litteris & dedicationibus ipſum ornarunt: rati vel hinc lucubrationibus ſuis, non parum dignitatis & commendationis acceſſurum: ſi Oporini nomine in aliorum conſpectũ venirent. Et vt ex infinitis vnum enumerem, Andreas Veſalius, cum Oporino familiariſſimè diu eſt verſatus, Anatomiæ ſuæ, opere typis ipſius commiſſo: cuius etiam conſilio & inſtinctu, præclaro quidem, ſed inauſpicato Arionis ſymbolo eſt vſus.

Digitized by Google

In hoc laborioſo vitæ genere cum ſecunda vxore, Maria Ficina vixit Oporinus triginta & aliquot annos, grauiſſimis, hominum improborum iniuria, factis naufragijs. Mortua eſt illa, peſte, marito Francofurti in nundinis abſente, anno ſupra milleſimum quingenteſimum ſexageſimo quarto. Eadem hora, manè quarta, qua eam expiraſſe domum reuerſus cognouit, pulſum quendam, ad ſpondam lecti Oporinus ſenſit: quo aliquid mali portendi ad famulum, iuxtà cubantem dixit. Delectabatur illa, vt memorauimus, inſolente pecuniæ effuſione: parùm ſollicita, quanto labore, & periculis mediocres etiam opes conſtarent: Aliàs perita artium quibus indulgentiores mariti capiuntur, & ad obſequia vxorum flectuntur. Nam vt Menander dicit.

Ενες' ἀληθὲς φίλτρον ἐγνώμων τρόπος:
Τύτῳ καταχρᾶτεῖν ἀνδρὸς εἴωθεν γυνή.

Conſtat rara, vel potius nulla inter eos interceſſiſſe iurgia: dum illa facilitatis mariti non ignara, ingenium eius blandè tractaret: & continuis Typographiæ laboribus defatigatum ac tantum non oppreſſum, & morum & ſermonis commoda elegantia reficeret: operarum præterea ignaua importunitate concitatum prudenter permulceret,

Digitized by Google

ceret, ac tempestiuè leniret.

Defuncta coniuge administrandæ rei familiaris moles, ipsi soli Oporino incumbebat: cui oneri, alioqui sexcentis negocijs distentus, & numerosa operarum multitudine obrutus, cùm sufficere non posset: rebus suis ita postulantibus & cogentibus: semestri elapso, tertiam duxit Elisabetham, Eucharij Holzachij F. animi, corporis, & fortunæ dotibus ornatissimã matronam, viduam Ioannis Heruagij iunioris, eodẽ pestilentiæ malo extincti. Huius officina cum Oporini coniuncta, maioribus eum inuoluit molestijs. Nam vxoris beneficio & opib. auctus: cùm aliquantulum à perennib. istis ærumnis respirare inciperet, & in portu, omni exemtus periculo Arion nauigare videretur: in Oceanum typographicum tunc demum est prouectus. Sed qualemcunq; hanc prosperitatem immaturum coniugis fatum intercepit. Ea enim in Thermas Badenses Heluetiorum profecta, ex doloribus matricis, quarto coniugij mense Basileam reuersa expirauit.

Tunc demum Oporinus grauissimum vulnus accepit. Nam breui illo tempore, gustum aliquem coniugalis amoris fidei, pietatis sensit: & quid esset in coniugio uiuere didicit. Erat ea festiuo et cõmodo ingenio: et opes suas ad publicã litterarũ vtilitatem

Digitized by Google

non inuita cum mariti conatib. conferebat: vel hac promtitudine, fidem suam erga Oporinum demonstratura, & studium promouendae litteraria vnà cum marito comprobatura. Mulctatus itaq; tam acerbè à fortuna: magna tamen animi moderatione & grauitate, mortem suæ Heroissæ (Hoc enim eam nomine ob generosam animi probitatem & matronales virtutes, honestabat) tulit. Iam enim frequentibus malis animum obfirmauerat: & non imparatum ærumnis pectus gerere (vt Theseus apud Senecam loquitur) didicerat.

Catastrophen fabulæ, lætiorem Deus esse voluit. Mœrorem enim ex intempestiuo Heroissæ suæ obitu perceptum facilè discussit coniunx quarta (qui quidem quaternarius, vitæ tum cœlestis, quàm adeptus est: tum prolis susceptæ, indicium statuatur) prudentia moderata, probitate, fide, ac pia in maritum beneuolentia, priori non inferior: eo etiam superior: quòd Oporinum in extremo iam ætatis actu, filio virtutis, eruditionis, & diligentiæ paternæ (fortunam enim & ille ex alijs discat) hærede beauerit.

Ea est Faustina, Clarissimi Iureconsulti Bonifacij Amerbachij F. Vlrici Iselini, Iurisperiti, vidua: & ipsa mirando Dei consilio Oporino iuncta, cùm præter nominis honestam existimationem nihil in Oporino, à muliere iuuencula esset expetendum.

Hæc

Hæc res mariti diligentius perpendens: eumq; ætate iam grauem, laboribus istis ferendis imparem esse videns: assiduè instare ipsi & orare, vt vendita officina, sese expediret.

Difficulter quidem coniugis precibus cessit Oporinus: quòd stationem hanc, in quam à Deo esset collocatus, temerè deserendam, & priuato ocio publicũ commodum postponendum non putaret: sæpe etiam diceret: Molestiæ typographicæ finem, mortẽ ipsam, iam propinquam excepturam esse. Victus tamen iustis vxoris precibus, Typographiam vendidit, nunquam suarum rationum subducta summa. Non multò pòſt suscepit filium Emmanuelem, prouidentiæ diuinæ testimonium, ipso natali suo 25. Ian. 1568. anni: quasi & hoc imminentis mortis, non dubium esset omen. Lætitiam quam inde percepit Oporinus, iudicabunt isti, quorum omnis in prole vnica, nominis & generis propagatrice, stat cura. Nullæ ad doctos mittebantur litteræ, in quibus Oporinuli (ita enim apud amicos vocitare solebat) non fieret multa mentio.

Sed nec tum quidem liquido, & ob omni parte solido gaudio frui licebat. Complures enim molestiæ et impeditæ curæ ab importunis et malè feriatis hominibus inijciebantur: quæ cùm senis animum acerbius ferirent, ac sauciarent, vitæ tandem finem Opo

Digitized by Google

rino attulerunt. Quinto namq; posᵹ natum Emmanuelem ſuum menſe ex catarrho, & cephalalgia epidemia, cœpit decumbere: cum alioqui corpore non ægro eſſet. Excepta enim paralyſi, qua in itinere ad Vueittmoſeros (qui mille Ioachimicorum præſidio munito Delphino, Arionem, propè iam marinis fluctibus obrutum, è piratarum manibus anno 1558. eripuerunt: ſola Oporini, nomine ſaltem noti fide contenti) fuit affectus, nunquam aliàs ægrotauit. Vigeſimo posᵹ die, ſexto nimirum Iulij, anni 1568. circa horam nonam antemeridianam, ex hac vita miſeriarum plena placidè exceſſit: ea patientia, quæ vitæ anteactæ conſentanea, innocentiam, pietatem erga Deum, ac ſenſum futuræ beatitudinis aliquem probaret & teſtaretur: cum natura multos imperfectæ κρίσεως conatus ſuis locis feciſſet. Decimo quarto decubitus die, ſomno oppreſſus, diu ſupinus iacuit: tandem altè ductis ſuſpirijs, hanc edidit vocem: Benè habet, ſi quis ita monetur. Interrogatus ab aſtantibus, quid ſibi hæc vellent, reſpondit: Per ſomnium ſe vidiſſe ſupra lectum horologium automatum ſuſpenſum, horas ſignaſſe, quibus finitis, pondus illud, quo moles impellitur, in pectus deuolutum, eum excitaſſe: Addidit, dulcem ſe quaſi concentum ex illa concuſſione per-

percepisse.

Elatus est humeris Academiæ, comitatu omnium ordinum honorificentissimo: sepultus in summo templo, in societate clarissimorum virorum, Grynæi, Oecolampadij, Munsteri, & aliorum qui viuacibus ingenij monumentis nominis perpetuitatem sibi pepererunt.

Concionem funebrem habuit, reuerendus vir D. Simon Sulcerus, Theologus doctissimus, & puritatis Euangelicæ diligentissimus cultor.

Mortem eius luctus omnium bonorum consequutus est: nec defuit fœneratorum strepitus, qui & viuum scelerate expilarunt: & mortuo, contumelioseè insultare non erubuerunt: Cùm tamen ijdem ipsi, præter paupertatem patriam: summam erga alios liberalitatem, æris istius alieni non postrema fuerint causa: cuius numerum immanis illa secundæ vxoris prodigalitas, vt dixi, & priuignorum profusio auxit.

Hunc vitæ finem, Ioannes Oporinus habuit, de studijs nostris optimè meritus: & ob id dignus, cuius memoria, cum virtutis perpetua commendatione omnium bonorum labijs celebretur atq; efflorescat. Qualiacunq; n. ea fuerint, quæ mortem eius exceperunt: eiusmodi tamẽ sunt, ut nec æternã illius beatitudinẽ, cuius initia iã moriturus percipiebat:

Digitized by Google

nec quam viuus, ex veræ virtutis actionibus habuit, sint interturbatura.

Quin potius, eam speramus fore posteritatis gratitudinem: vt præconijs suis existimationem Oporini sit confirmatura, qui etiam in tanta rei familiaris angustia: ex tam paruis atq; exilibus initijs incremento sumto, in curanda Typographia, adeò magnificus esse potuerit.

Gratias verò vobis ago, grauiss. & doctiss. auditores: quòd & me de Oporino balbutientem audire tam patienter: & Oporini manibus nobiscum parentare non estis dedignati.

MORTIS

MORTIS IOAN. OPORINI PRAESAGIA COELIUS II. Curio obſeruauit & ſcripſit.

QVO DIE RACHELIS BERnardi Brandis ductum eſt funus, XIIII. ni fallor, Iunij M. D. LXVIII. dimiſsa cõcione, Oporinus & ego domum ſimul veniebamus: atque ita ex eius funeris occaſione, de morte ſermonem conferre cœpimus. Cúmque dicerem, me poſtquam morientes tot meos liberos tanta alacritate ſpectaſsem, mortem mihi non tam formidabilem videri, atque vulgò exiſtimatur: et omnino me ibi mori dediciſſe? Hic ille: Et noſter Auguſtinus, inquit, quo animo diſceſsit? Eo inquam, quo in ſacram cõcionem: quo ad ſua ſtudia, atque adeò quo eſuriens ad menſam venire conſueuerat: animo ſedato, cõſtanti, alacri, dicam etiam, læto, atque hilari vultu, & appetenti ſimili. Mirum eſt, inquit, quibus modis Dominus mortis acerbitatem temperet ſuis: vt ſatis liqueat eum omnes moriendi acerbitates perferre voluiſſe, quò

Digitized by Google

à ſuis eas remoueret. nã quod alios apoplexia repente, ac ſine ſenſu tollit, alios phreneſi ac delirio ſuauiſsimo, alios lethargo & ſtupore quodam attonitos: id Dei bonitate fieri exiſtimo, vt ne cogitare quidẽ eos de morte velit, tantum abeſt vt ſenſum eius aliquẽ habeant. Id quod Conrado Lycoſtheni affini meo accidiſſe vidimus, cuius pietas eximiaque probitas tibi fuit notiſsima. In ijs verò, in quibus integra mens ad exitũ vſque conſtat, tantum beatę illius vitæ deſiderium accendit, vt corporis cruciatus omnes aut contemnant, aut non ſentiant. Et quidem ab eo tempore, quo mihi paruulum meum Emmanuelẽ Deus in hac ingraueſcẽte ætate conceſsit, de hiſce rebus mecum ſæpe cogitans, huius me vitæ tædere cœpit, præſertim hoc tempore, in quo nihil auditur præter bonorum cædes, proſcriptiones, direptiones, bella, latrocinia, & malorum omnium mare. Rectè, inquam, mi Oporine, & piè cogitas: atque vtinam hæc potius è cœlo illo puriſsimo, quàm ex hac fœdiſsima colluuie ſpectaremus. Quod vbi dixiſſem ad eius domum peruenimus: vbi ego cùm eũ vellẽ relinquere: nequaquam inquit, ſed tecum,

mi

mi Cœli aliquo vſque veniam, vt hoc quantumcunque eſt temporis, tecum inſumam: ignarus, quando poſthac vna futuri ſimus. Mihi quidem ſi ita vis, et ſi tibi moleſtũ non eſt, inquam, id eſt gratiſsimum, ac iucundiſſimum. atque in hunc modum ſummum templum verſus de ijſdem rebus loquentes ibamus: quò vbi ventum eſt, Videamus, inquit, vbi Auguſtini corpus cõdideris, imus, lapidem contemplatur, legit Epitaphium, probat, præſertim, inſcriptionem illam quę in limine ſuperiore ſculpta eſt: IANVA VITAE, Vere inquit, Ianua vitæ, quando ad illam æternam vitam niſi per mortẽ aditus eſt nullus: quo magis optanda eſt, et cùm adeſt, lætis animis accipienda. Mox illum locum totum perluſtrare cœpit, ſic, ut nullus domum ſuam tanta diligentia. Et, ô inquit, quot bonorum corpora hîc iacent. Virgines quinque, tres tuę, vna Beati Brand, quinta Iſingrinij: Viri verò quatuor, Caſtalio, Iſingrinius, Frobenius, & Auguſtinus tuus. Ego decimus his addi volo: ſi quidẽ ante te mihi ex hac vita excedere contingat: & in hoc angulo humari, vltra tuos oẽs: Nam pulchrũ eſt uel mortuum inter bonos, atque pios iacere?

cere? Cui ego, vter prior abiturus sit, in Dei sinu repositum est: sed quandocunque id fiat, hic cũ meis dulcissimis liberis condi in beatum illum diem volo. His dictis discessimus: isque me domum vsque meam, qua humanitate erat, deduxit. Ego verò meis illico hæc, tanquam mortis eius præsagia quædam narraui.

CATA-

Digitized by Google

CATALOGVS LIBRORVM PER IOANNEM OPORINUM excusorum, secundùm ordinem alphabeticum, adiecta impressionis forma.

Aaronis Batalæi plausus, Carmen. 8
Abdiæ Babyloniorum episcopi, & Apostolorum discipuli, de historia certaminis Apostolici libri X. Iulio Africano, cuius subinde D. Hieronymus meminit, interprete: cum aliorum Sanctorum vitis. fol.
Abdiæ Prætorij de Iustificatione, &c. libellus. 8
Abrahami Læscheri Threnorum siue Lamentationum Hieremiæ lib. carmine Elegiaco. 8
Eiusdem uersio Commentariorum Pausaniæ de tota Gracia. fol.
Actij Synceri Sannazarij de partu Virginis libri III.
Eiusdem de morte Christi lamentatio. S. Pij poëtæ. Item Eclogæ. 8
Adami Siberi Enchiridion pietatis puerilis, ex diuersis Doctorum monumentis collectũ, & distinctum libris IIII. 8.
Eiusdem Poëmatum Sacrorum libi XVIII. 8
Eiusdem Psalterij, seu carminum Dauidicorum libri V. Catecheseos libri II. Bellariorum cœlestium seu De consolatione Christiana, liber I. Idylliæ sacræ. 8
Adami Siberi Epigrammatum libellus superadditus, cum Emendatione eorũ quæ in ipsius Poematibus perperam excusa fuerant. 8
Aeliani de Varia historia libri XIIII. græcè & latinè, Iusto Vulteio & Anomymo quodam interpretibus.

Aenea

Digitized by Google

Aeneæ Syluij de Euryali & Lucretiæ amore libell. 16
Aeschyli Prometheus græcolatinè cum annotationib. Math. Garbitij. 8
Aeschyli tragœdiæ per Io. Sanrauium latinè versæ. 8
Agriculturæ Sacræ libri V. heroico carmine descripti, quibus absolutum veri Theologi exemplar depingitur, Thoma Naogeorgo autore. 8
Albini, siue Alcuini confessio & doctrina de Deo compendio exposita. 8
Alcoranum Mahumeticum, vnà cum Confutationibus diuersorum: & Historijs, de origine, moribus & reb. gestis Sarracenorum atq; Turcarum, vsq; ad nostra tempora: Item, Orationibus diuersorum, de bello contra Turcas suscipiendo. fol.
Alexandri Alesii Commentarius in Euangelium Ioannis. 8
Alexandri Aphrodisæi Quæstiones naturales, De anima, Morales: siue difficilium dubitationum & solutionum libri IIII. Gentiano Herueto interprete. 8
Allegoriarum typorum & exemplorum veteris & noui Testamenti libri II. ex Operibus M. Lutheri collecti, per Iacobum Hertelium. 8
(lectæ. 8
Allegoricæ Origenis obseruationes, per Gilb. Cognatum col
Anatomia Missæ & Missalis &c. 8
Andreæ Alciati de formula Romani Imperij libellus. 8
Eiusdem Parergon libri X. 8
Andreæ Ammonij Ecloga. 8
Andreæ Fricij Modreuij Commentariorum de repub. emendanda lib. V. de moribus, Legibus, Bello, Ecclesia, Schola Quib. accesserunt:
Eiusdem de Ecclesia liber Secundus, Orationes item, & Epistolæ. fol.

Eiusdem,

Digitized by Google

Eiusdem, de peccato Originis, de libero hominus arbitrio, de prouidentia & prædestinatione Dei. item, de Mediatore libri III. Item, Narratio de Staniſlao Orichouio. 4

Andreæ Fricij von Verbeſſerung deß gemeynē nutz Teütſchſ.

And. Hyperij Calendarium ſacrum, fol. (fol.

Eiusdem, de quotidiana ſcripturæ ſacræ lectione. 8

Idem Germanicè. 4

Andreæ Hyperij Methodi Theologiæ, ſiue præcipuorum Chriſtianæ religionis Locorum communium libri tres. 8

Eiusdem Theologus, ſiue de formando Theologiæ ſtudio, libri IIII. 8

Andreæ Naugerij Eclogæ. 8

Andreæ Veſalij de Humani corporis fabrica, ſiue Anatomiæ libri V. Eiusdem Epitome, tam Latina quàm Germa-

Ang. Politiani Epiſtolæ aliquot Laconicæ. 16 (nica. fol.

Annæbergæ deſcriptio carmine Heroico. 8

L. Annibalis Cruceij Ecloga. 8

Anthologici ſiue Gnomologici græcolatini tomi duo, Mich. Neandri Tabulis linguæ Græcæ adiuncti. 8

Antigoni mirabilium narrationum congeries, græcè & latinè, Guil. Xylandro interprete. 8

Antilogia Papæ, diuerſorum opuſcula, ante noſtra tempora contra Papatus errores ſcripta. 8

M. Antonij Antimachi de laudib. Græcarum literarū Oratio. Eiusdem uerſio Gemiſti Pletonis, de geſtis Græcorum poſt pugnam ad Mantineam, cum alijs. 4

Ant. Auguſtini Iureconſulti Emendationum Iuris Ciuilis & opinionum libri IIII. vnà cum eiusdem ad Modeſtinum, ſiue de Excuſationibus, libro ſingulari. Quibus maxima iuris Ciuilis pars ex Florentinis Pandectis emendatur & declaratur. fol.

Antonij

Digitized by Google

Antonij Bonfinij Aſculani de reb. Vngaricis Decades tres, collatione manuſcripti exemplaris multis in locis emendatiores quàm antea excuſæ. Quib. acceſſerunt iam poſtrema editione, libri XV. hoc eſt, Decas Quarta integra, cum Quinta dimidia: quantum videlicet à Bonfinio ipſo eius Hiſtoriæ deſcriptum eſt. item, Appendices rerum Vngaricarum, vſq; ad noſtra tempora, per Ioan. Sambucum Trinauienſem. fol.

Eiuſdem Ant. Bonfinij Sympoſion Trimeron de Virginitate & pudicitia cõiugali, ad Beatricem Vngariæreginam, &c. nunquam hactenus in lucem editum.

Antonij Codri Ecloga. 8.

Ant. Flaminij Ode in Pſalmos XXX. 8 *Pij Poetæ.*

Antonij Geraldmi Eclogæ. 8

Ant. Lulli Progymnaſmata rhetorica. 8

Ant. Maioragij in Ariſtot. lib. de Cœlo, Ortu & interitu Paraphraſis. fol.

Eiuſdem, in Oratorem Ciceronis ad M. Brutum Commentaria. fol.

Eiuſdem Reprehenſionum libri ſecundi contra Marium Nizolium: in quib. multa & varia diſputantur, quæ cùm magnam in legendo iucunditatem, tum non mediocrem vtilitatem afferre poſſunt. Item, Recuſatio eorum omnium, quæ Nizolius in Deciſionib. eiuſdem Maiorągij, tanquam malè poſita notauit. 4

Ant. Marij Ecloga. 8

Antonij Nebriſſenſis in aliquot S. Scripturæ locos obſeruationes. 8

Antonini Liberalis transformationum congeries, græcè & lat. Guil. Xylandro interprete. 8

Aonij Palearij Orationes, Epiſtolæ, Poemata. 8

Aonij

Digitized by Google

Aonij eiusdē de immortalitate animorū libri III. Pij poetæ. 8

Apocryphæ aliquot narrationes de Christo, Maria, cognatione ac familia Christi, Ioanne theologo & euāgelistā, græcolatinè per Mich. Neandrum, vnà cum Catechesi Lutheri editæ. 8

Apollonij Rhodij Argonauticorum libri IIII. ad verbum latinè versi per Ioan. Hartungum. 8

Apollonij Historiæ mirabiles, Græcè & latinè, Guil. Xylandro interprete. 8

Apollonij Tyanæi de Imitatione sententia, per Ioch. Camerarium expressa. 4

Apophthegmata veterum Hebræorum, qui Prophetarum discipuli fuerunt, collecta per Mich. Neandrū: et eiusdem Ebrææ linguæ Erotematis adiuncta. 8

Appiani Illyricus græcolatinus, Guil. Xylandro interprete. 8

Arati Solensis Phænomena περὶ ἀπισημείων, cum Theonis Scholijs, & Leontij Mechanici περὶ ἀρατείας σφαίρας, Græcè. 4
Idem Latinè. 4

Aratoris in Acta Apostolorum libri II. 8

de Arbore scientiæ boni & mali libellus, Augustino Eleutherio autore.

Archytæ Pythagorei fragmenta Ethica græcolatina, Guil. Cantero interprete. 4

Aristeæ historia de Septuaginta Bibliorum interpretibus, græcè & latinè, Math. Garbitio interprete. 8

Aristologia Euripidea, & Pindarica, Sententiæ ex Euripide & Pindaro aliisq; Lyricis collectæ, græcolatinè cum Annotationibus, per Michaelem Neandrum. 4 & 8

Aristotelis de moribus ad Nicomachum libri X. græcolatinè Dionysio Lambino interprete: cum eiusdem, & Theodori Zuuinggeri Annotationibus. 4

Digitized by Google

Iidem Ethicorum libri Tabulis perpetuis, quæ Commentariorum loco esse queant, explicati & illustrati, per Theodorum Zuuinggerum. fol.

Aristotelis de Cœlo, item de Ortu & interitu lib. Ioach. Perionio interprete. 8

Aristotelis Ethica ad Nicomachum latinè. Ioach. Perionio interprete, per N. Grouchium correcta: adiecta eorundem Epitome per Hermolaum Barbarũ & Tonstallũ. 8

Aristotelis Ethicorum libri X. græcè & latinè ad verbum, per Turnebum. 8

Aristotelis Organum græcè, à Ioan. Hospiniano recognitũ & emendatum. 8

Idem Latinè, Perionio & Grouchio interpretibus. 8

Aristotelis Physica tota Græcè & Latinè, Perionio & Grouchio interpretibus. 8

Aristotelis Rhetoricorum ad Theodecten libri III. Hermolao Barbaro interprete, cum Danielis Barbari annotationibus. 8

Iidem cum Græco textu capitibus suis distincto, & figuris Aristotelicam methodum indicantib. illustrato, & Commentarijs Martini Borhai, & Petri Victorij. fol.

Aristotelis de Virtutib. libellus, græcè & latinè diuersis interpretibus. 8

Arithmologia Ethica, Sententiæ Morales certis numeris comprehensæ, & græcolatinè, à Ioach. Camerario conuersæ. 16

Arnobij Afri in aliquot Euãgelistarũ locos Annotatiũculæ. 8

Arriani Nicomedensis de Expeditione ac rebus gestis Alexãdri Macedonis regis lib. VIII. latinè cõuersi p. Barthol. Faciũ. 8

Arriani de dictis et factis Epicteti græcolatinè, Iacobo Schegio & Hieron. Vuolfio interpretib. 4 & 8

Augu-

Digitized by Google

Augustini Beatiani Epigrammata, & Verona. 8

Augustini Saturnij Mercurius Maior, siue Elegantiarum linguæ Latinæ libri X. varia ac rara eruditione referti. 8

Aurelij Nemesiani Eclogæ. 8

Außlegung der xii. artickln deß Christenlichen glaubens/ in xij. Colloquiss oder gespräch begrieffen/ durch Joannen Brandmullerum. 4

Außzug etlicher Spruchen der alten lehrern/ von des Herren Nachtmal/ etc. durch Wolfgängung Wyssenburg. 4

Ausonij Eclogæ. 8 Eiusdem oratio matutina ad Deum omnipotentem. 8

Aymari Falconei de exhilaratione animi in mortis angore, Dialogus. 8

B

Bapt. Mantuani Eclogæ. 8

Bapt. Persij Thyrsis Ecloga. 8

Bartholi de Saxoferrato I. C. Distinctionum Iuris Tabulæ, postremò magna accessione auctæ. 4.

Bartholomæi Georgieuits Prognoma siue Præsagium Mahumætanorum, de Christianorum calamitatibus, & suæ gentis interitu: ex Persica lingua in latinam conuersum. Eiusdem exhortatoria Epistola contra infideles. Item, libellus de afflictione tam captiuorum, quàm etiã sub Turcæ tributo viuentium Christianorum. Item, de ritu & ceremonijs domi ac militiæ ab ea gente vsurpari solitis: Alcorano adiecta. fol.

Bartholomæi Marantæ Lucullianarũ quæstionũ libri V. quib. & Vergiliani poematis artificium, & innumera ad artem poeticam facientia explicantur. fol.

Bartholomæi Marliani Topographiæ vrbis Romæ libri V. cum ipsius vrbis, & insignium in ea ædificiorum picturis & descriptionibus. fol.

Digitized by Google

Bartholomæi Riccij de Imitatione libri tres, ex vltima autoris recognitione: vnà cum aliorum de Imitatione sententia. 8

Barthol. Syluij de Eucharistia libellus. 8

Basilij Ioan. Heroldi Annotationes in Historiam Vngaricam Ant. Bunfinij. fol.

Eiusdem, Bericht über den Pfaltzgrauischen Stammen. *4*

Eiusdem Orbis amor, siue Panegyircius Maximiliano II. Imp. dicatus. 8

Eiusdem Panegyricus Ferdinando Imp. dicatus. 8

Item alius, Princeps iuuentutis, Ferdinando Austriaco, &c. dicatus. 8

Eiusdem Scipio, siue de discipulorum erga Præceptores gratitudine, &c. Dialogus. Item Nero, contrarij argumẽti commentatiuncula eiusdem. 8

D. Basilij Magni concio ad adolescentes, quo pacto ex Gracis autorib. capienda sit vtilitas. 8

Basilij Magni de Grammatica exercitatione libellus, Græcè. 8

Basilij Magni opera latinè. fol.

Basilij Zanchij Bergomatis poematum libri VIII. 8

Eiusdem verborum Latinorum ex varijs autoribus Epitome. Item, Verborum quæ in Marij Nizolij obseruationibus in Ciceronem desiderantur, Appendix. 8

Bassiani Landi historia corporis humani lib. II. 8

Eiusdem Iatrologia, siue Dialogi duo de vniuersæ artis Medicæ, præcipuè morborum omnium & cognoscendorum & curandorum, absolutiss. methodo. 4

Bauren practica teütsch. *per Nic. Vigelium. 8*

Beati Rhenani epistola, de Missarum varietate. Item Fragmentum de vita Greg. Magni. 4

Bernar-

Digitized by Google

Bernardini Arluni I. C. Patricij Mediolanenſis, Hiſtoriarum ab origine vrbis Mediolanenſis, ad noſtra vſq; tempora, Sectiones tres. fol.

Bernardini Ochini Apologi, wider die miſsbreuch deß Bab ſthumbs/ *4*

Blaſij Hollerij Annotationes in Hippocrat. lib. de Natura hominis. 8

Bonini Mombritij expoſitio Theogoniæ Heſiodi, carmine heroico. 8

P. Boquini κοινωνίαι *diuinæ atq; humanæ Exegeſis. 8*

Brunonis Seidelij poemata. 8

Eiuſdem Tragœdiæ duæ: altera Iephtha, inuẽtionis propriæ: altera Cyclops, ex Euripide uerſa: nunquã antea editæ. 8

M. Bruti Epiſtolæ, quas Græcè cõſcripſit, quum ipſe & Caſſius, mortuo Cæſare, cum Dollabella, pro Syria Aſiaq; prouincijs, ſibi per Senatum decretis, bellum gererent, &c. latinè. 16

Bucij Aenicolæ Europa lamentans, & Tranſyluania. 8

Bucolicorum autores recentiores XXXVIII. qui à Virgilij ætate ad noſtra tẽpora eo poematis genere ſunt vſi. 8

C

Cælij Apitij de re culinaria libri X. 4

Cæl. Auguſtini Curionis, Rerum Sarracenicarum libri III. vnà cum Drechsleri de rebus Turcicis Chronico, vſq; ad noſtra tempora continuato. fol.

Cælij Calcagnini diſquiſitiones aliquot in libros Officiorum Ciceronis. 4

Cælij Secundi Curionis, Chriſtianæ religionis inſtitutio breuis & dilucida, &c. 8

Item, Epiſtola eiuſdem, de pueris ſanctè Chriſtianeq; educandis, &c. 8

Digitized by Google

Eiusdem Dialecticæ Perionij Epitome. 8
Eiusdem de Amplitudine regni Dei libri II. 8
Eiusdem, de bello Melitensi historia. 8
Eiusdem in Marci Tullij Ciceronis Partitiones Oratorias Commentarius. 8
Eiusdem Logices Elementorum libri IIII. quib. ad Aristotelis Organum aditus aperitur. 8
Eiusdem Pasquillus Extaticus. 8
Cælij Sedulij Mirabilium diuinorum, siue Paschalis carminis libri IIII. 8
T. Calphurnij Eclogæ. V. 8
Camilli Palaoti Amor, Carmen. 8
Candidi Ariani ad Marium Victorinum rhetorem, de Generatione diuina liber. fol.
Canones Conciliorum omnium, ad nostra vsq; tempora, per Ioan. Arquerium collecti. fol.
Canones diuersarum Missarum: quib ostenditur, Canonem, Missam, & planè totum istud sacrificium propitiatorium, humanum, non diuinum inuentum esse. 4
Canones doctrinæ triangulorum, &c. per Ioach. Rheticum. 4
Carionis Chronicon, cum Appendice vsq; ad annum LXVI. 16
Caroli Molinæi oratio, de horrenda Ecclesiæ & Politiæ metamorphosi, &c. 4
Carthaginensis VI. Synodi historia, de Primatu seu potestate Papæ. 4
Catalogus hæreticorum. 8
Catalogus testium veritatis, qui ante nostra tempora papatus errorib. restiterunt, Math. Flacio Illyrico collectore. fol.
Catechesis Martini Lutheri parua, Græcolatina, à Mich. Neandro postremùm recognita, & libellorum aliquot lectu dignissimorum accessione locupletata. 8

Cato-

Digitized by Google

Catechiſmus Eccleſiæ Baſilienſis. 8
de Catharina Vermilla Pet. Martyris vxore hiſtoria. 8
Cebetis Tabula græcè & latinè. 8 & in fol.
Centuriæ Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. autoribus Ioan. Vuigando, Math. Flacio, & alijs. à Prima vſq; ad Vndecimã. fol.
Chriſtiani Theodidacti Aphoriſmi, Quo pacto ingenui adoleſcentes formandi ſint. 8
Chriſtoph. Corneri in Ciceronis ad Q. fratrẽ epiſtolã primã Commentaria, de prætoris & magiſtratus officio, &c. 8
Eiuſdem Methodus inueniendi medium in Syllogiſmo Categorico. 8
Item, Præfationes duæ in Officia Ciceronis. 8
Chriſtop. Hegẽdorphini de Conſcribendis epiſtolis libellus. 8
Eiuſdem de inſtituenda vita, & corrigendis moribus iuuentutis Paræneſis. 8
Chriſtophori Mylæi de ſcribenda Vniuerſitatis rerum hiſtoria libri V. naturæ, artium, Reipub. principatuum, doctrinarum atque literatorum hominum ab ipſis primordijs ad noſtra vſque tempora perbreuem enumerationẽ comprehendentes. fol.
Eiuſdem Theatrum. fol.
Chriſtophori Phreislebij harmonia quatuor Euangeliſtarũ, CLXXII. Sermonibus comprehenſa. 8
Chriſtus triumphans, comœdia Apocalyptica Ioannis Foxi, & Eiuſdem in eundem Panegyricon. 8
Diui Chriſoſtomi orationes aliquot Græcè & Latinè, nunquam antea editæ, Vito Amerpachio & Martino Cromero interpretibus. 8
In Ciceronis de Somnio Scipionis Fragmentum, Pet. Ioann. Oliuarij Scholia. 4
Ciceronis Epiſtolarum familiarium Clauſulæ, excerptæ ac

Digitized by Google

generatim digestæ per Ioan. Gabrielem oratorem Senensem. 8

In Ciceronis locum lib. 2. Officiorum, de causis senatorijs, Leonis Baptistæ Alberti interpretatio. 4

In Ciceronis Officiorum libros Dispositiones aliquot, Cælio Calcagnino autore. 4

Ciceronis Orator ad M. Brutum, cum M. Ant. Maioragij Commentarijs. fol.

In Ciceronis Partitiones oratorias Cæl. Sec. Curionis Commentarius. 8

Item, Viti Amerpachij expositiones earundem, & præfationis de Opt. genere dicendi. 8

In Ciceronis philosophiam Moralem τὰ κεφάλαια, per Pet. Ioan. Oliuarium. 4

Ciceronis Tusculanarum quæstionũ libri V. cum Ioachimi Camerarij Commentarijs & Annotationibus. 4

Clauis scripturæ Sacræ, seu de Sermone sacrarum literarum, Tomi duo: Math. Flacio Illyrico autore. fol.

Claudiani de Raptu Proserpinæ libri III. cum Iani Parrhasij commentario doctissimo. 4

Claudij Bodini Faustina, Carmen. 8

Cliniæ Pytagorei fragmentum Ethicum græcolatinũ, Guil. Cantero interprete. 4

Coluthus de raptu Helenæ, cum Tryphiodoro, Latinè ad verbum. 8

Comicorum veterum Sententiæ græcolatinè, per Iacobum Hertelium collectæ. 8

Confessio Augustana græcè, per Paulum Dolscium. 8

Conradi Celtis de Conscribendis epistolis libellus. 8

Conradi Clauseri de Educatione puerorum, & Epistolandi atque edeclamandi methodo liber. 8

Eiusdem

Digitized by Google

Eiusdem Analysis in Officia Ciceronis. 8

Eiusdem Methodus Analytica siue rẽsolutoria, ex Aristotele, Platone, Hermogene, Cicerone, aliỹsq; opt. autoribus conflata. 8

Eiusdem Progymnasmata grammaticæ lat. 8

Eiusdem Syluula formularum quotidiani sermonis, in puerorum & Latinæ linguæ tyronum gratiam congesta. 8

Con. Lycosthenis in C. Plinij Secundi librum de Viris illustribus Commentarij. 8

Item, Parabolarum siue Similium ex autoribus tam sacris quàm profanis collectorum, & in Locos communes digestorum farrago. 8 & fol.

Conradi Vuengeri Brixiensis de bello inter Sigismundum Archistrategum & Venetos, libellus. 8

Conseil à la France desolée. 8

Coriolani Cepionis de Petri Mocenici Imp. rebus gestis libri tres. 8

Corn. Donzellini Brixani Methodus Linguæ Græcæ: cum Symboli Apostolici, Christianæ precationis & Decalogi expositione. 8

Cor. Valerij Ethicæ, siue de Moribus philosophiæ descriptio. 8

Cornuti, siue Phurnuti de natura Deorum gentilium Commentarius græcè & latinè, per Con. Clauserum. 8

Coropædia, siue de Sacrarum Virginum institutione: vnà cum Eudæmonis Macariæ repub. per Gasp. Stiblinum. 8

Corpus doctrinæ Veteris testamenti, per Ioan. Vuigãdum. 4

Corpus siue Syntagma doctrinæ Christi, & Apostolorum, siue Noui Testamenti, per Ioan. Vuigandum. 8

Idem Germanicè. 4

Critonis Pythagorici de Prudentia fragmentum græcolat. Guil. Cantero interprete. 4

Digitized by Google

Cunmanni Flinſpachij Genealogiæ Chriſti & omnium populorum Tabulæ. fol. Et eadem Libro etiam ſeorſim ab ipſomet edito comprehenſa. fol.

Cydonius de contemnenda morte græcè & latinè. 8

Cyriaci Spangenbergij Tabulæ in V. libros Moſis. fol.

Eiuſdem in Ioſuam, Iudicum, Samuelem, Regũ et Paralipomenon libros, item Rutham & Hiobum, Tabulæ, fol.

D

Danielis Barbari in Ariſt. Rhetorica Annotationes. 8

Dantis Florentini de Monarchia libri III. 8

Definitiones Theologicæ Iacobi Hertelij. 8

Demetrij Chalcocondylæ Erotemata grammaticæ græcæ. 8

Demetrius Phalereus de Elocutione, latinè. 8

Eiuſdem præcepta de membris & inciſis, De periodis, de componendis epiſtolis, de characteribus dicendi: Anto. Antimachò interprete. 4

Demoſthenis Gnomologia, ſiue Sententiæ collectaneæ, et Similia in certa virtutũ & vitiorum capita digeſta, Græcè & Latinè, per Ioan. Loinum. 16

Demoſthenis oratiões omnes, vnà cum Aeſchinis orationib. & Epiſtolis, Latinè, Hieronymo Vuolfio interprete. 8

Detleui Langebekij in leges aliquot difficiliores, necdum ſatis intellectas hactenus, nouæ Annotationes. 8

De diſciplina puerorum, rectéq; formandis eorum ſtudijs & morib. diuerſorum Doctorum opuſcula. 8

Diodori Siculi hiſtoriarum libri aliquot, Vincentij Obſopœi opera & ſtudio primùm græcè in lucem editi. 4

Diogenis Cynici Epiſtolæ, Franc. Aretino interprete. 16

Dionis Caſſij Nicæi Romanæ hiſtoriæ libri XXV. Guil. Xylandro interprete, cum eiuſdem Annotationibus. fol.

Dionis Chryſoſtomi orationes LXXX. in latinum conuerſæ

per

Digitized by Google

per Thomam Naogeorgum. fol. (latinè. 8
Dionyſij Alexand. de Situ orbis, cum Euſtathij cõmentarijs,
Dionyſij Halicarnaß. præcepta de oratione Panegyrica, Nuptiali, Natalicia, & Epithalamijs, Ant. Antimacho interprete. 4
Dionyſius Longinus de Sublimi orationis genere, Græcè. 4
Diſputatio de Iuda Iſcariote, an Cœnæ Domini interfuerit, per Ioan. Ribittum. 8
Diſputatio de Originali peccato & libero arbitrio inter Matthiam Flacium Illyricum & Victorinum Strigelinum Vinariæ habita, adiectis eiuſdem argumenti alijs etiam libellis. 4
Domitij Bruſonij facetiarum & exemplorum libri X. 4
Donati octo partium orationis methodus, ex emendatione Viti Amerpachij: vnà cum Tabulis. 8

E

Eccleſiaſticus carmine redditus per Ioannem Seckeruitz. 8
Eyn gründlicher Bericht von dem Leib Chriſti/ etc. Thomæ Eraſti. 4
Elegantiæ ex Ciceronis Epiſtolis, Plauto & Terentio, per Georg. Fabricium. 8 (lanæ. 8
Elementa Latinæ linguæ ad vſum puerorum Academiæ Do-
Elyſij Calentij & Phalaridis epiſtolæ. 16
Engelberti Abbatis de ortu & fine Rom. Imperij. 8
Eobani Heſſi Eclogæ. 8 Eiuſdem verſio Iliados Homericæ, carmine Heroico. 8
Epiphanius contra LXXX. hæreſes, cum alijs eiuſdē operibus latinè, Iano Cornario interprete. fol. Eiuſdē oratio de fide Catholica & Eccleſia, cū Annotat. Viti Amerpa. 8
Epiſt. miſcellaneæ doctorū virorū ad Frid. Nauſeā lib. X. fo.
Epiſtolarum conſcribendarū methodus, vnà cum Exemplis, incerti

Digitized by Google

incerti autoris. item Epistolarũ formæ quasi figuris designatæ, græcè & latinè, Ioan. Sambuco interprete. quib. adiecti sunt etiam Lud. Viuis, Erasmi Rot. Conradi Celtis, & aliorum de Conscrib. epistolis libelli. 8

Epistolarum Laconicarum farragines duæ: quarum vna quæ è Græcis versæ sunt, altera Latinæ tantum continentur: Gilberto Cognato collectore. 16

Erasmi Roterod. de amabili Ecclesiæ concordia. 8

Eiusdem de Conscribendis epistolis libellus. 8

Eiusdem Ecloga. 8

Item opus de Conscribendis epistolis in compendium redactum, per Ioan. Monhemium. 8

Eiusdem de studij, & legendi interpretandiq; autores ratione lib. Item de instituendis pueris: Ratio colligendi exempla: Modus repetendæ lectionis: Concio de puero Iesu: Expostulatio Iesu cum homine suapte culpa pereunte: De ciuilitate morum puerilium: Ciuilitas morum in quæstiones digesta, & locupletata per R. Hadamarium. 8

Erasmi Roterod. & Gilb. Cognati effigies. 8

Esdræ somnium, cum alijs prophetijs, de fatis monarchiæ Romanæ, per Theodorum Bibliandrum. 4

Euangelica historia beati Marci, per Theodorum Bibliandrum Annotationib. Illustrata. 8. cum Proteuangelio Iacobi.

Eucharij Sinesij Romulus, Ecloga. 8

Euclides teutsch per Guil. Xylandrum. fol.

Euphemus comœdia, Isaaci & Isai: item alia, Ouis perdita, Iacobo Schœppero autore. 8

Euricij Cordi Eclogæ. 8

Euripides Latinè, ex versione Philippi Melanch. & Xylandri. 8

Digitized by Google

Euripidis Oreſtes, tragœdia latino carmine expreſſa, per Sigiſmundum Geloum. 8

Euryphami Pythagorici fragmentum de vita, græcolatinum, Guil. Cantero interprete. 4

Euſebius captiuus, ſiue modus procedendi in Curia Romana contra Luteranos, in quo præcipua Chriſtianæ religionis capita examinantur, per Hieronymum Marium. 8

Euſebij Kirchen hiſtoria teutſch. fol.

Euſtatij archiep. Theſſalonicenſis Commentaria in Dionyſium de ſitu orbis, latinè. 8

Euſtathij Cõſtantinopolitani Anteceſſoris, de Varia tẽporũ in Iure ciuili obſeruatione libellus, græcè & latinè, à Simone Schardio conuerſus. 8

Euſtathij Quercetani in Hippocratis de natura hominis lib. Acroamata, ſiue Commentarius. 8

Eiuſdem in tres Galeni libros de Temperamentis Scholia. 8

Eutropij Rom. hiſtoriæ Breuiarium, cum Annotationibus H. Glareani. 8

F

P. Fauſti Andrelini Eclogæ. 8

Eiuſdem Epiſtolæ prouerbiales & morales. 16

Felicis Petantij Cancellarij Segniæ, Quib. itinerib. Turcæ ſint aggrediendi, ad Vladiſlaum Hungariæ & Bohemiæ regem liber, Alcorano adiunctus. fol.

Florentij Voluſani de vera animi tranquillitate carmen. 8 Pij Poëtæ.

Fr. Balduini Commentarius de prudentia Mutiana. 8

Eiuſdem Catecheſis iuris. De pignoribus & hypothecis, &c. Item in leges Voconiam, Falcidiam, Iuliam Papiam, Rhodiam, Aquiliam, &c. 8

Eiuſdem Iuſtinianus, ſeu de Iure nouo libri. IIII. 8

Fran.

Digitized by Google

Fran. Floridi Sabini aduersus Steph. Doletum inuectiua, & ad Spiegellium Epistola. 4

Eiusdem in Plauti & Latinæ linguæ calumniatores Apologia. Itẽ, de Iuris Ciuilis interpretib. liber. De C. Iulij Cæsaris præstantia lib. III. Lectionũ Succisiuarũ lib. III. fol.

Friderici Furij Ceriolani Bononia, siue de libris Sacris in vernaculam Linguam transferendis. 8

Eiusdem, de Consiliarijs libellus, ex Italico in Latinum versus per Simonem Schardium. 8

Francis. Nigri Rhætia, de situ et morib. Rhætorũ, Carmẽ. 4

Fran. Petrarchæ Eclogæ. 8.

Franc. Philelphi puerilis institutio Hecatosticha. 8. cum Vitruuio Roscio. Eiusdem Satyrarum Hecatostichon Decas prima. G

In Galeni artem medicinalem, & de Constitutione artis, Tabulæ, per Theodorum Zuuingerum. fol.

Galeni libelli aliquot græcè, per Ioã. Caiũ. Britã. restituti. 8

In Galeni li. de Tẽperamẽtis Scholia Eustathij Quercetãi. 8

Galeni trium de Diebus decretorijs librorum Epitome, per Ioan, Morisotum. 8

Gasp. Bruschij de Laureaco et episcop. Patauiens. historia. 8

Gaspari Stiblini Coropædia, siue de institutione Sacrarum virginum. 8

Eiusdem, de cæde Episcopi Herbipolensis Carmen heroicum, & Con. Dinnenri Elegia. Eiusdem historiæ descriptio, oratione prosaica. 8

Gemisti Plethonis de gestis Græcorũ post pugnam ad Mantineam libri II. Antonio Antimacho interprete. 4

Eiusdem Explicatio quatuor Virtutum, græcè & latinè, Adolpho Occone Augustano interprete. 8

Genealogiæ Christi & omnium populorum Tabulæ, per Cunma-

Digitized by Google

Cunmannum Flinſpachium. fol.

Georgij Acanthij de Philoſophia Platonica libri tres. 8

Eiuſdem partitiones Rhetoricæ in libros ad Herennii. 8

Georgij Aemylij explicatio Euangelicarum lectionum, quæ Dominicis atq; Feſtis diebus veteri more in Eccleſia tractari ſolent, ad vſum Scholarum & docendæ iuuentutis accommodata, &c. 8

Eiuſdem in Eſaiæ cap. LIII. de Paſſione, morte et reſurrectione Chriſti, explicatio. Item, in Pſalmum Dauidis XXI. de cœna matutina. Item, in Pſalmum I. & XI. In Euangelia Natiuitatis, & Trinitatis. Item, Eiuſdem argumenti ſacra quædam carmina. 8

Georg. Fabricij Partitionum grammaticarum Tabulis expreſſarum libri quatuor. fol.

Eiuſdem Roma. Itē, Antiquitatū lib. II. Itinerum liber I.

Eiuſdem Poëmatum Sacrorum lib. XXV.

Eiuſdem Scholæ puerilis lib. XI. nempe, Elegantiarū ex M. T. Ciceronis epiſtolis libri III. Elegantiarū ex Plauti & Terentij comœdijs libri II. Publij Mimorum & Sententiarum ex poetis antiquis liber I. De re poetica libri IIII. De ſyntaxi partium orationis apud Græcos lib. I. 8

Georgij Liebleri Epitome philoſophiæ Naturalis, ex Ariſtotelis libris ita excerpta, vt eorum Capita breuiter & dilucidè explicet, & ad eoſdem cum fructu legendos præparare ſtudioſos poſſit. 8

Georgij Macropædij de Conſcribendis epiſt. lib. 8. cū Lippo.

Georgij Merulæ Alexandrini Epiſtolæ, vnà cum Annotationibus eiuſdem in Ang. Politiani Miſcellanea. 8

Georgij Precht Panegyris, carmine. 8

Georgij Sabini Ecloga. 8

Georg. Trapez. in locū Euangelij, Si eū volo manere, &c. 8.

Georg.

Digitized by Google

Georg. Vallæ de Orthographia, Epistolari charactere, Imitatione & Exercitatione, præceptiunculæ. 8

Georg. Vicelij Historiarum de diuis tam Veteris quàm Noui testamenti liber. Item, Tuba Gratiæ per Christum factæ: &, Pædagogiæ Christianæ initium.

Eiusdem Typus Ecclesiasticus. 8

Gilb. Cognati Anacrusis in Epistolam ad Romanos. 8

Eiusdem opuscula: nempe, de Officio famulorum: Oeconomica siue ratio tractandi rem domesticam: Oratio in Concordiæ commendationem, & discordiæ detestationem: Epistolæ, & alia quædam. 8

Eiusdem Epitaphia. &c.

Gilberti Ducherij, & Nucillani Eclogæ. 8

Gnomologia græcolatina. sententiæ veterum philosophorum, Poetarum, oratorum, historicorum, in locos communes digestæ per Mich. Neandrum. 8

Gnomologiæ, Sententiæ & Similia ex Demosthene, græcolatinè, per Ioan. Loinum. 16

Godescalci Prætorij Grammat. Ebreæ libri VIII. 8

Godefridi Viterbiensis Chronicon, siue Pantheon. fol.

Græciæ vniuersæ descriptio, siue mappa, Nicolai Sophiani. In eandem doctiss. Commentaria Nic. Gerbelij. fol.

Greg. Nazanzeni græca quædam & sacra Carmina, cum latina Ioannis Langi Silesij interpretatione. 8

Gregorij Nysseni opus admirandum, de Hominis opificio, græcè & latinè, Ioan. Leoclauio interprete, cum eiusdem Annotationibus. 8

Guil. Canteri Nouarum lectionum libri VII. 8

Eiusdem Lycophron carmine versus, cum Annotationibus. 4

Item, Synesij orationes aliquot, & Hymni, græcolatini, eodem interprete, nunquam prius editi.

Item,

Digitized by Google

Item Poëmata aliquot. 8 & 4
Guil. Grataroli de peſte libellus. 8
Guil. Paradimus de antiquo ſtatu Burgundiæ. 8
Guil. Poſtellus de magiſtratibus Athenienſium. 8
Idem de natiuitate Mediatoris vltima, &c. liber. 4
Eiuſdem de omnium linguarum notis, & characterum origine, Tabulæ. fol.
Guilielmi Xylandri, Dionis Caſſij hiſtoria è Græco verſa, cũ Annotationibus. Item Cedreni Hiſtoria, cum Annotationibus, & in eundem Tabulæ. fol.
Item, de Philoſophia Carmen. Plutarchi de audiendis poëtis, & de Homero, opuſcula, cum Annotationib. Item Plutarchi Vitæ, cum Annotationibus. fol. Item Pſelli, mathematici libelli: Phlegontis Tralliani de Olympijs, Antigoni et Apollonij mirabiles hiſtoriæ: Appiani Illyric. &c.
Item Stephani dictionarium de Vrbibus, innumeris locis reſtitutum, auctum, & latinitate donatum. fol.

H

Heinrichi Bullingeri de fine ſeculi et iudicio venturo Domini noſtri Ieſu Chriſti: deq; periculis noſtri huius ſeculi corruptiſſimi grauiſſimis, & qua ratione fiant innoxia pijs: Orationes duæ.
Heliodori Aethiopicæ hiſtoriæ libri X. græcè innumeris locis emendati per Guil. Canterum, & latinè conuerſi per Stanislaum Vuarſcheuuicki Polonum. 8
Heinrici Glareani Annotat. in Dialecticam Ioan. Cæſarij. 8
Heraclides Ponticus de allegorijs Homericis, græcè & latinè, Con. Clauſero interprete. 8
Eiuſdẽ, Rerumpub. deſcriptiones, ſiue de Politijs, Iuſto Vulteio interprete. 8
De Hæreticis, an perſequẽdi, diuerſorũ tam veterum quàm

Digitized by Google

recentiorum doctorum sententiæ. 8

Hermæ Philosophi irrisio Gentilium philosophorum, græcè & latinè. 8

Hermanni Raijani in Dialect. Ioan. Cæsarij Scholia. 8

Hermolai Barbari explicatio librorum Aristot. Rhetoricorum ad Theodectem. 8

Eiusdem Compendium librorum Aristotelis de moribus ad Nicomachum, & Physicorum. 8

Hesiodi opera græcè & latinè. 8

Hieremiæ prophetæ lamentationes siue Threni, Elegiaco carmine per Abrahamum Lœscherum. 8

Item, per Nic. Asclepium Barbatum. 8

Hieremias tragœdia, ex propheta Hieremia desumpta, per Thomam Naogeorgum. 8

Hieronymi Franci Comment. in Regulas iuris. 8

D. Hieronymi institutio puellarum, ad Lætam. 8

Hieronymi Vidæ Christiados libri VI. de vita, reb. gestis ac morte Christi. 8. cum Pijs poëtis.

Hier. Vidæ Eclogæ. 8

Hieronymi Vuolfij Commentaria in M. T. Ciceronis libros de officijs. 4. Item, Eiusdem conuersiones operum Demosthenis, Isocratis, Arriani & Simplicij in Epictetum: historiarum Zonaræ, Nicetæ, Gregoræ, &c. fol.

Hieronymi Zanchi de Dissidio in cœna Domini, iudicium. 8

Hieronymi Vuildebergij totius philosophiæ in Rationalem, Naturalem & Moralem digestio, & Epitome. 8

Hipparchi Pytagorici fragmentum Ethicum græcolatinum, Guil. Cantero interprete. 4

Hippocratis Aphorismi cũ Cõmentarijs Leonhar. Fuchsij. 4

Eiusdem Aphorismorum genuina lectio, & fidelis interpretatio, græcolatina, cum Galeni censura in eos omnes qui minus

Digitized by Google

minus erant abſoluti, per Ioan. Moriſotum. 8

Hippocratis Epiſtolæ, latinè. 16

In Hippocratis lib. de Natura hominis Commentarius Euſtathij Quercetani : item Annotationes Blaſij Hollerij. 8

Hippodami Thurij de Felicitate ſeu fine, fragmentum græcolatinum, Guil. Cantero interprete. 4

Homeri Ilias ab Eobano Heſſo, & Odyſſea à Simone Lemnio, Heroico carmine reddita. 8

Homeri opera Græcolatina, ex caſtigatione Sebaſtiani Caſtalionis, & Hen. Stephani. fol.

Hypomnema de fide, obſeruantia, & beneuolentia pontificum Rom. erga Imperatores Germanicos, Simone Schardio collectore.

I

Iacobi Apoſtoli & fratris Domini Proteuangelion de natalib. Ieſu Chriſti & matris virginis Mariæ, Sermo hiſtoricus, cum cenſura Theodori Bibliandri. 8

Idem Græcè, Catecheſi Lutheri adiectum, per Neandrum. 8

Iacobi Latomi Pſalmi aliquot carmine deſcripti. 8

Iacobi Peletarij De dimenſione Circuli, De contactu linearum, De conſtitutione Horoſcopi &c. Commentarij. fol.

Eiuſdem de Peſte compendium. 8

Iacobi Sadoleti de liberis rectè inſtituendis liber. 8

Iacobus Scheggius de cauſa continente. 8

Eiuſdem conuerſio Theognidis Sententiarum, carmine. 8

Item Arriani, de dictis Epicteti, &c. 4.

Iacobi Ziegleri Conceptionum in Geneſin & Exodum

Digitized by Google

Commentarij. fol. Item, Super arbitrio humano exempla & scripturæ: Ex epistola ad Corinth. secunda locus, de raptu Pauli in tertium cœlum, tractatus: De solenni festo Paschæ, ad veteres collatio: in historiam Iudith elucubratio, & Chronographica censura. fol.

Iani Anysij Eclogæ. 8

Eiusdem sententiæ Iambicis metris comprehensæ, totius philosophiæ moralis veluti Epitome quædam. 8 De docendi modo.

Iani Cornarij de Conuiuiorum veterum Græcorum, & hoc tempore Germanorum, ritib. morib. sermonibus.

Item de Amoris præstantia, & de Platonis ac Xenophontis dissensione libellus. 8

Eiusdem Medicina, & Medicus. 8

Iani Pannonij episcopi Quinqueclesiensis poëmata recognita & aucta. 8

Iani Parrhasij Commentarius in Claudianum de raptu Proserpinæ. 4

Item, Rhetoricæ compendium. 8

Iesu Syraci liber, qui Ecclesiasticus dicitur, carmine Elegiaco redditus per Ioan. Seceruuitzium. 8

Ioach. Camerarij Commentarij in Tusc. Quæst. Ciceronis,

Item, de Imitatione epistola, &c. 4

Item, in Comœdias Plauti ab eo innumeris locis restituti Annotationes.

Item in totum Sophoclem Commentarij, vnà cum exemplo duplicis conuersionis. 8

Item, Eclogæ. 8

Item, Præcepta vitæ puerilis, Præcepta honestatis & decoris puerilis. De gymnasijs siue ludis puerorum, dialogus. 8 De docendi modo.

Ioachim

Digitized by Google

Ioachimi Rhetici Canon triangulorum. 4

Ioan. à Lasco Epistolæ, de recta & legitima Ecclesiarum bene instituendarum ratione, &c. 8

Eiusdem Purgatio ministrorum in Ecclesijs peregrinis. Francofurti, de cœna Dom. 8.

Item, Responsio ad Calumnias Ioachimi Vuesthphali. 8

Ioan. Arnolleti Eclogæ. Item, Fides, Spes, Charitas, Threnodia: Argumenta in Aeneida Vergilij. 8

Ioannis Arquerij Dictionarium Biblicum, omnium proprio rum nominum Biblicorum ex Patrum sententia interpretationem exhibens. fol.

Ioannis Artopœi Colloquia. Item, Arbor eruditionis, & in eandem oratio. Item, Apotheosis Mineruæ. 8

Ioan. Balæi de Scriptoribus Britanniæ, siue Anglicis, Tomi duo. fol.

Ioan. Bapt. Goynæi, & Ioan. Boccatij Eclogæ. 8

Ioan. Brodæi Miscellaneorum libri III. 8

Ioan. Cantacuzeni Constantinopolitani Imp. contra Mahometicam superstitionem Christiana & Orthodoxa assertio, libris IIII. Græcè ante annos plus minus CC. scripta: & per Rodolph. Gualterum latinitate donata, & Alcorano adiecta. fol.

Ioan. Chrysostomi cum Basilio Magno dissertatio, de Episcopalis ac sacerdotalis muneris præstantia, interprete Iano Cornario. 8

Eiusdem orationes aliquot Græcè & latinè, M. Cromero, Vito Amerpachio, & Matth. Dresero interpretibus. 8

Ioan. Cuspiniani Consules, vnà cum Commentario in Sexti Rufi rerum gestarum Pop. Rom. Epitomen: itemq; Aurelij Cassiodori Chronicon. Eiusdem Cusp. Austria, deq; origine Comitum Habspurgensium, & Ducib. Austriæ, &c. fol.

Digitized by Google

Eiusdem Cusp. de Cæsarib. atq; Imperatoribus Romanis historia, cum Vuolffgangi Hungeri Annotationibus longè doctissimis. fol.

Ioannis Cratonis Methodus therapeutica, ex Galeno & Ioanne Montano. 8

Ioan. de Monte regio libellus de Cometa. fol.

Ioan. Draconitis Euangeliorum Dominicalium enarratio, siue Postilla. fol.

Ioan. Dugonis Philonÿ Tilianus, siue de scientia bene moriendi liber. 8

Ioan. Fabricij Montani oratio, de Concilio Tridentino. 4

Ioan. Feri explicatio Psalmi LXVI. 8

Ioannis Ferrarij Montani de Repub. bene instituenda libri IX. fol.

Ioan. Foxi de prædicamentis Tabulæ. 8

Eiusdem Locorum communium tituli. 8

Eiusdem Martyres, siue rerum in Ecclesia gestarum historia, &c. fol.

Item Supplicatio ad proceres Angliæ, &c. 8

Io. Fr. Quintiani Stoæ Elegiæ, Monodiæ, Threni. 8

Eiusdem tragœdia Theandrothanatos, de passione Domini. 8 cum Christianæ poëseos opusculis.

Ioan. Gabrielis Senensis Clausulæ Familiarium epistolarũ Ciceronis. 8

Ioannis Hartungi locorum diuersorum ex opt. quibusq; autoribus & emendatorũ & explicatorũ, Decuriæ IIII. 8

Ioan. Hospiniani de Hominis iustificatione coram Deo, fidei ne an operib. tribuenda sit: vnà cum specimine artis Iudicandi, & Elegia de Christi cœna. 8

Eiusdem de Syllogismi Categorici modis liber. 8

Ioan. Iustiniani Cretensis Epistolæ familiares, Scholastica siue

Digitized by Google

siue Morales, & Declamatoriæ. Item, de diuo Nicolao Smyrnæ pont. oratio. Item, Memorabilis facti Sereniſſ. regis Maximiliani commentariolus. 16

Ioannis Langij Lembergij Epiſtolæ Medicinales. 4

Ioan. Langi Sileſij poëmata aliquot Chriſtiana. Item, Defenſiones duæ contra Frid. Staphylum, de Carne Chriſti, an creatura ſit dicenda. 8

Ioannis Lauterbachij Euangelia carmine expreſſa. 4

Ioannis Leoclauij de Conſolatione cõmentatio duplex, Plutarchiana & Noua. 8

Eiuſdem conuerſio Greg. Nyſſeni, de Hominis opificio, cum Annotationib. 8

